OTTONI RIBBECK

SACRVM.

DE
ANTHOLOGIA PALATINA QUAESTIONES.

SCRIPSIT

PAULUS SAKOLOWSKI.

LIPSIAE.

MDCCCXCIII.

Tabula argumenti.

Caput primum.

De Diogeniani anthologio.

Praeter Meleagri Gadareni Philippique Thessalonicensis coronas et Agathiae Scholastici Myrinaei cyclum aliis quoque epigrammatum florilegiis usum esse Constantinum Cephalam in componendis eis libris, quos nunc maximam partem in Anthologia quae dicitur Palatina tenemus, iam viderunt viri docti, ac primus Passovius[1]) et post eum Weigandius[2]) singularem navaverunt operam, ut aliorum Cephalae fontium origines explorarent. Itaque cum persuasum habuissent illi viri docti, praeter ceteros poetas primi et secundi post Christum saeculi necessitudinis cuiusdam vinculis inter sese cohaerere, statuerunt epigrammata illorum poetarum a Cephala excerpta esse ex Diogeniani Heracleotae anthologio, qui finem versus saeculi alterius hanc epigrammatum collectionem, atque in elementorum ordinem quidem, composuerit, ita ut Suidae[3]) verba: *γεγονὼς ἐπὶ Ἀδριανοῦ βασιλέως* haud ita essent premenda, aut corrigenda.

Quanquam hodie vix unum exstiturum esse spero, qui huius Diogenianei Anthologii vestigia in Anthologia Pa-

[1]) Über die neuesten Bearbeitungen der griech. Anth. in Annal. phil. et paed. ed. Jahn. 1827. p. 58. sqq.

[2]) De Constantini Cephalae fontibus II. Mus. Rhen. N. S. III. 161. sqq. 452. sqq. 541. sqq.

[3]) Suid: *Διογενειανός: γεγονὼς καὶ αὐτὸς ἐπὶ Ἀδριανοῦ βασιλέως ... ἔστιν αὐτῷ βιβλία ταῦτα. λέξις παντοδαπὴ κατὰ στοιχεῖον ἐν βιβλίοις έ (ἐπιτομὴ δέ ἐστι τῶν Παμφίλου λέξεων βιβλίων έ καὶ* q *τῶν Ζωπυρίωνος), ἐπιγραμμάτων ἀνθολόγιον, περὶ ποταμῶν, λιμένων, κρηνῶν, ὀρῶν, ἀκρωρειῶν, περὶ παροιμιῶν κατὰ στοιχεῖον ἐπίτομον ἀναγραφὴν, συναγωγὴν καὶ πίνακα τῶν ἐν πάσῃ γῇ πόλεων, καὶ τὰ λοιπά.*

latina restare neget, tamen etiam accuratiora, quae indagasse mihi videor, proferre liceat.

Iure ac merito vir doctus Italus, Giovanni Setti[1]), contendit in Suidae verbis, quae de temporibus Diogeniani pronuntiat, nihil mutandum esse, cum *γέγονεν* non tam de ortu viri cuiusdam quam de vitae culmine apud Suidam dici Rohdius[2]) luculentissime edocuerit.

Verba autem ut mutarentur Passovius et Weigandius ideo suaserunt, quod etiam Lucianum huic anthologio insertum fuisse putaverunt — num felici Minerva coniecerint, postea videbimus.

Fuit autem Diogenianus natione Ponticus ex urbe Heraclea, atque multa eius scripta laudantur apud Suidam praecipue lexicographa et excerpta. Atque cum complures eiusdem *λέξεις* et alii libri *κατὰ στοιχεῖον* compositi essent, et Meleagri[3]) Philippique epigrammatum coronae iam ante eum secundum elementa coartatae sint, etiam *ἐπιγραμμάτων ἀνθολόγιον*[4]) *κατὰ στοιχεῖον* ordini adaptatum fuisse verisimillimum est.

Porro cum etiam aliis locis[5]) et alia scripta eius enumerentur et *χρονικά*, quibus de Hadriani imperatoris rebus gestis Diogenianus egerit[6]), Romae eum commoratum esse putem, praecipue cum ii poetae, quorum epigrammata certe eius anthologio continebantur, paene omnes aut Romae oriundi aut in urbe per longum tempus habitantes fuissent.

---

[1]) Gli epigrammi di Luciano. Torino. 1892.

[2]) *γέγονε* in den Biographika d. Suid. Mus. Rhen. XXIII. 161. sqq.

[3]) Recte Reitzensteinius („Epigramm und Skolion". 1893.) pag. 276. adn: 1. contendit, Meleagri coronam *κατὰ στοιχεῖον* non distributam fuisse. Quomodo autem distributa fuisse videatur, equidem alio loco me demonstraturum esse spero.

[4]) *ἀνθολόγιον* recta forma est, non *ἀνθολογία;* alia enim est Ori et Orionis *ἀνθολογία.* cf. Passow. op. acad. 198. Ritschl. op. V. 528.

[5]) Schol. Il. E. 576: *ἐπιτομὴ Ἑλληνικῶν ὀνομάτων.*

[1]) Etym. Magn. 34,5, quo ex loco discimus eum chronica quoque composuisse, in quibus Hadriani gentilicium nomen *Αἴλιος* commemorabatur.

Iam quaeremus, quos poetas et qualia epigrammata continuerit Diogeniani collectio, et quomodo composita fuisse videatur. Ac poetarum quidem Weigandius[1]) iam satis magnum collegit numerum, multos tamen falso, ut puto, attulit. In universum dicendum est verisimile vix esse Diogenianum epigrammata poetarum, qui iam alias coronas ornabant, suae collectioni addidisse; immo excerpsit ex singulis libris epigrammata poetarum Caligulae aetate recentiorum usque ad sua ipsius, ad Hadriani et Antonini Pii fere tempora, ita ut Diogeniani anthologium poematia unius circiter saeculi contineret edereturque circa annos 140.—150. Inerant igitur certe florilegio epigrammata Ammiani, Lucillii, Nicarchi, Gaetulici, Traiani, Hadriani, Philonis, quos omnes hisce temporibus vixisse scimus. Nisi forte Gaetulicum eundem fuisse atque Cn. Cornelium Lentulum Gaetulicum[2]) et Philonem Byblensem illum fuisse grammaticum[3]) negas.

Sed etiam alios poetas indagare possumus series epigrammatum *κατὰ στοιχεῖον* incipientium perlustrantes. Adparet enim eos poetas, quorum epigrammata elementorum ordine coniuncta sunt, necessitate quadam inter se cohaerere, nimirum in Diogeniani anthologio composita fuisse. In primis in libro undecimo, et quidem finem versus, ut fere semper, fragmenta libelli Diogenianei meliore ordine servata sunt, quod fortasse cum Weigandio[4]) eo explicari potest, quod Constantinus, postquam omnes, qui ei praesto erant, titulos absolvit, iterum atque iterum fontes, vel rectius fontem primarium, perquisivisse videtur et spicilegium quasi fecisse, quo in negotio etiam in novos nonnullos incidit titulos.

Maiores igitur series hasce repperi:

cap. XI. 388.—398. *Α—Π.* Lucillii, Nicarchi.

---

[1]) l. l. pag. 564.

[2]) de quo vide Teuffel. histor. litt. rom. II.[5] 291,1.

[3]) cf. Rohde l. l. pag. 180. adn. 3. et 175.

[4]) l. l. pag. 166.

399.—413. Γ— Ω. Apollinarii, Lucillii [1]), Nicarchi, Gaetulici, Antiochi, Ammiani.

417.—436. Α—Θ. Traiani, Philonis, Apollinarii, Antiochi, Helladii, Pisonis, Ammiani [2]).

Breviores ordines hos indagavi:

cap. XI. 80.—83. Ο - Τ. Lucillii, Nicarchi.
85.—88. Ν—Τ. Lucillii.
134.—137. Α—Ω. Lucillii.
138.—141. Α—Χ. Lucillii.
172.—177. Γ—Τ. Lucillii, Philippi. (?) [3]).
178.—181. Β—Η. Lucillii, Ammiani.
184.—187. Ε—Ο. Lucillii, Nicarchi, Leonidae [4]).
191.—194. Α—Π. Lucillii, ἀδέσποτον.
226.—229. Ε—Ο. Ammiani.
237.—241. Κ—Τ. Demodoci [5]), Lucillii, Nicarchi.
251.—254. Δ—Π. Nicarchi, Lucillii.
309.—312. Θ—Ο. Lucillii.
313.—316. Α—Ε. Lucillii, ἄλλο.
329.—333. Δ—Φ. Nicarchi, Callicteris.

Iam vides Diogenianum certe excerpsisse Lucillium, Nicarchum, Ammianum, Antiochum, Apollinarium, Gaetulicum, Traianum, Philonem, Pisonem, Callicterem, Helladium.

Verisimile est Diogeniano ipsos horum poetarum libellos praesto fuisse, exceptis nimirum epigrammatis Traiani Hadrianique, quae ut primum excogitaverunt imperatores, iam omnium in ore fuerunt. Woltersio [6]) quod placuit etiam Cephalam manibus tenuisse ipsos illorum poetarum tomos, minime comprobari potest; nam si revera illis temporibus, scilicet decimo saeculo, integrae erant

---

[1]) vide infra pag. 8.
[2]) conf. infra pag. 8.
[3]) corruptum mea sententia, quanquam medelam non inveni.
[4]) vide infra pag. 18.
[5]) de hisce alio disputandum erit loco.
[6]) Mus. Rhen. XXXVIII. 103.

illae epigrammatum collectiones, nonne verisimile est alios quoque compilatores eis usos esse?

Tum ne manifestum quidem est, Constantinum Cephalam ipsum Diogeniani anthologium excerpsisse; immo verisimilius mihi videtur, illum quoque exscripsisse fontem, qui aut Diogenianum ipsum aut rursus eius epitomam praesto habuit. Nam si Cephalas ipse Diogenianum inspexisset, talis, qualem nunc tenemus, Diogenianei anthologii perturbatio pristini ordinis iam non exstaret. Itaque Lucillii et Nicarchi aliorumque poematia primarium quidem Diogeniani, tertium autem vel quartum Constantini fontem fuisse persuasum habeo.

Iam de singulis poetis agendum est.

A Lucillio, qui — non dico optimus, nam ne unus quidem horum poetarum bonus est — sed praestat saltem ceteris, exordium faciamus.

Lucillii aetatem vitamque ut enarremus, fontem primarium epigrammatum eius numerum satis magnum adeamus; sed cum saepissime una aut altera Anthologia hoc vel illud carmen diverso lemmate ornetur, antea quae epigrammata iure Lucillio tribuenda sint, quaeramus. Ac primo quidem loco sintne dubia inter ea poemata, quae utriusque Anthologiae consensu ac fide Lucillio dantur, dispiciamus.

Λουκιλλίου vel *Λουκίλλου*[1]) lemma in Palatina et Planudea Anthologiis hisce carminibus praeponitur:

VI.	166.	XI.	88.	XI.	140.
IX.	572.		90.—94.		141.
XI.	11.		99.		143.
	68.		100.		148.
	69.		103.—107.		153.
	75.—79.		131.		154.
	83.—85.		133.—136.		159.
	87.		138.		161.

[1]) de librariis et nominis forma vide pag. 19.

XI. 163.—165.	XI. 210.	XI. 256.—259.
171.	211.	264.
172.	215.	266.
177.	216.	276.—279.
183.—185.	233.	308.
189.—192.	245.—247.	311.
194.	249.	312.
196.	253.	315.
197.	254.	389.—393.

De genuina origine eorum epigrammatum, quae capite undecimo Anthologiae Palatinae servantur, scrupulos vix quisquam moverit, cum defendatur authentia et loco in anthologio Diogeniani et ipsa indole; nam, ut iam praesumam, quae inferiore loco uberius erunt tractanda, in universum si iudicium ferre liceat, Ovidianum[1]) illud de Callimacho repetam:

quamvis ingenio non valet, arte valet.

Valet Lucillius sane non tam arte et varietate argumentorum ipsorum quam varietate quadam sermonis et coloribus satis facetis, facultate singulas sententias breviter et acute exprimendi. Tenui autem admodum Lucillius utitur argumentorum copia; exhausit sales in pusillos, turpes, malos gladiatores, astrologos, medicos, grammaticos, poetas, philosophos, e. q. s. s., neque semper quidem, ut novas verborum facetias inveniret, operam navavit. Unum est, quod statim addam, omnia eius epigrammata in certos quosdam homines nominatim appellatos versa esse, quanquam nomina semper — paucissimis fortasse exceptis — ficta esse non ignoro.

Iam miraberis, quod interdum alia apud me invenies lemmata atque ea, quae in editionibus leguntur. Sed cum nonnullis locis animadvertissem codicum Palatini et Marciani collationes, quas nunc tenemus, veritati minime respondere, precibus Hugonem Stadtmueller adii, qui, qua est liberalitate, benevolentissime lemmatum collationes et

---

[1]) Ov. am. I. 15, 14.

Palatini et Marciani quam accuratissimas mihi permisit. Itaque, si alia praebeo atque editiones, optimo nitor auctore. Accedamus igitur ad singula epigrammata examinanda.

De genuina carminis IX. 572. origine dubium subrepere non potest. Insertum enim est epigramma in eam libri noni partem, qua quorumcunque poetarum lusus collecti sunt. Conferas 566. Callimachi ex Meleagri, tum 567. et 568. ex Philippi coronis, item 570. Medium in hunc ordinem Empedoclis versus quosdam Anthologiae auctor interposuit, tum Lucillii, Ammiani (573. 574) et Nicarchi (576.) interrumpente Philippi Thessalonicensis epigrammate carmina legis, videmus igitur cum licentia quadam Cephalam in hac capitis noni particula variarum collectionum fragmenta congessisse.

Neque aliter iudico de epigrammate VI. 166. Etiam hoc loco trium praecipuarum coronarum (Meleagri, Philippi, Agathiae) epigrammatis Diogenianeorum carmina intermiscuit Constantinus (164. Luciani[1]), 165. *Φαλακκου*[2]) codices, corrigendum in *Φλάκκου*, non *Φαλαίκου*); sequuntur posthac Agathiae Scholastici. Accedit quod simillimum argumentum Lucillius XI. 393. tractavit.

Iam ad ea epigrammata perscrutanda pervenimus, quae sola alterius utrius Anthologiae auctoritate *Λουκιλλίου* sunt, et in his primo loco de eis, quae aut Palatina vel Planudea aut utraque demum Anthologia Luciano tribuuntur, iudicium ferre conemur.

Etiamsi nuperrime Settius[3]) singulari libello conatus sit omnia quinquagintatria epigrammata, quae in Jacobitzii editionis minoris volumine III. feruntur, Samosatensi sophistae pro spuriis evincere, eique Bielerus[4]) plane adsti-

---

[1]) vide infra pag. 10.

[2]) Knaackius ap. Susemihl. hist litt. Alex. II. 523, 27.

[3]) iam laudavi.

[4]) Wochenschr. f. klass. Phil. 1893, 922

pulatus sit, tamen Stadtmuellerus[1]) haesitavit, num re vera causae, quas vir doctus Italus attulit, omnino essent probabiles; quem secuto, praesertim cum ad Lucillii epigrammata segreganda summi momenti sit quaestio, iterum deliberationes epicriticas instituere mihi liceat.

Λουκιλλίου et *Λουκιανοῦ* nomina in lemmatis facile propter nimiam litterarum similitudinem confusa esse primus edocuit Gualtherus Engel[2]), simul additis lemmatum quorundam capitis undecimi correctionibus felicissimis. Tum Stadtmuellerus l. l. carmina XI. 427.—436. Settio praeeunte Luciano abiudicavit genuinumque auctorem Ammianum restituit. Ita, si cum his faciemus, eorum, quae capite undecimo servata sunt Luciani nomine epigrammatum ne unum quidem Luciani esse credemus, simul hac deliberatione commoti Luciani epigrammata in capite undecimo omnino locum non habere, cum Diogeniani anthologio, ut supra docui, inserta fuisse non possint, nec praeter Philippi, Diogeniani, Agathiae, Palladae fragmenta Constantinum in libro undecimo componendo aliis fontibus — ne Meleagro quidem — usum esse, alio loco me demonstraturum esse spero.

Primum apud Jacobitzium Luciani quod fertur epigramma servavit solus Photius, (biblioth. cod. 128.), qui, postquam celeberrimum illud de Luciano tulit iudicium[3]), haec addit: *ὅτι δὲ αὐτὸς τῶν μηδὲν ἦν ὅλως δοξαζόντων, καὶ τὸ τῆς βίβλου ἐπίγραμμα δίδωσιν ὑπολαμβάνειν, ἔχει γὰρ ὧδε.*

Λουκιανὸς τάδ' ἔγραψα, παλαιά τε μωρά τε εἰδώς,
μωρὰ γὰρ ἀνθρώποις καὶ τὰ δοκοῦντα σοφά.
οὐδὲν ἐν ἀνθρώποισι διακριδόν ἐστι νόημα,
ἀλλ' ὃ σὺ θαυμάζεις, τοῦθ' ἑτέροισι γέλως.

1) Berl. phil. Wochenschr. 1893, 3.

2) de quibusdam anth. Gr. epigr. comm. Festschrift d. Gymn. z. Elberfeld. 1875.

3) *συνθήκη δὲ αὐτῷ οὕτως ἥρμοσται, ὥστε δοκεῖν τὸν ἀναγιγνώσκοντα μὴ λόγους λέγειν, ἀλλὰ μέλος τι τερπνὸν χωρὶς ἐμφανοῦς ᾠδῆς τοῖς ὠσὶν ἐναποστάζειν τῶν ἀκροατῶν.*

Videmus igitur codici Lucianeo, quo Photius utebatur, praescriptum fuisse hoc epigramma, neque praefationem esse epigrammatum libelli cuiusdam, sed quasi summam Lucianeae philosophiae in duo disticha comprehensam et ex alio quodam libello depromptam et Luciani scriptorum corpori cuidam additam apparet. Sed minime adsentior Settio, qui epigramma propterea, quod, ut ipse putat, parum Lucianei ingenii redoleat, Samosatensi sophistae abiudicare studet, hoc simul meditatus, num fortasse epigrammatis initium ex aliis quibusdam versiculis procul dubio genuinis[1])

Λουκιανὸς τάδε πάντα φίλος μακάρεσσι θεοῖσιν

εἶδέ τε καὶ πάλιν ἦλθε ἑὴν ἐς πατρίδα γαῖαν,

iteratum sit. Nam si paullo accuratius verba inspexeris, videbis totum epigramma Luciani iocum resipere; praecipue in illa *παλαιά τε μωρά τε εἰδώς* coniunctione non haerebis, cum praeclarissimum oxymori, quod dicitur, exemplum habeas. Premenda mea quidem sententia sunt verba: *ἀλλ' ὃ σὺ θαυμάζεις, τοῦθ' ἑτέροισι γέλως*; editor, qui Luciano his versibus maledicere voluit, ut Settius arbitratur, Luciano non maledixit, immo eum laudavit. Neque quadrant exempla, quibus confirmare studet, comparari posse epigramma cum Anth. Pal. IX. 185. (Settius per errorem 181.), 186., 190., aliis, quibus dedicatio libelli cuiusdam (Archilochi, Aristophanis, Erinnae) versiculis ornatur; nusquam enim ex poetae ipsius mente verba ficta sunt.

Itaque cum gravioribus argumentis non impediamur, quominus Luciani genuinum putemus epigramma, Luciano servemus; locum autem habuit in volumine quodam Lucianeo, quem hodie iam non novimus.

In sexto Anthologiae Palatinae capite duplex Luciano epigramma tribuitur.

VI. 17. (49. Jacob.). — Planudea omisit epigramma. — Obscena est imitatio epigrammatis Leonidae Tarentini VI. 13., quem praeterea imitabantur Satyrius (11.), Iulianus

---

[1]) Ver. hist. II. 28.

Aegyptius (12. 14.), Antipater Sidonius (15.), Zosimus (16.), Archias (39.). Itaque cum poetae nisi e Meleagri, Philippi, Agathiae corona non afferantur, Lucianei nominis mentio non habet, quo defendatur. Lucianeum igitur esse epigramma minime credo, facillimamque lemmatis correctionem esse arbitror, si scribendum propono: *'Ιουλιανοῦ*, nempe eiusdem, cuius quisquiliae iam sequuntur. (18. 19. 20.). A Iuliani ingenio non abhorret, nam et obscena adamavit, (legas eiusdem in capite quinto epigrammata!) semperque Tarentinum illum Leonidam imitatus est.

Cuius corruptelae egregium documentum VI. 20. (33. Jacob.) carmen est, quod a Palatino librario Juliani (*τοῦ αὐτοῦ* lemma legitur), a Planude *Λουκια^{οῦ}/* fertur. Neque de hoc epigrammate aliud iudicium atque de VI. 17. feram.

Lucillianum denique VI. 164. (34. Jacob) vindicandum est propter sequens 166. Lucillii epigramma, quod genuinum esse supra demonstravimus. Accedit quod primo versu Lucillius repetit Parthenium[1]):

Γλαύκῳ καὶ Νηρῆι καὶ 'Ινώῳ Μελικέρτῃ,

cuius versus apud Macrobium[2]) et Gellium[3]) eodem modo quo Lucillianus legitur. Mira denique est *Λουκίλλιος* nominis v. 3. cum Luciano congruentia.

De epitymbio in puerum quinquennem VII. 308. (28. Jacob.) certum iudicium ferri nequit. Sed cum inter poetas Agathianos inseratur Lucianique epigrammata, si quae scripsit, Agathiae cyclo, quippe quo non contineantur nisi quarti, quinti, sexti saeculi poematia, inserta esse nequeant, potius Agathiano poetae vindicaverim, fortasse iterum Iuliano. Qua causa commoti librarius vel ipse Cephalas Luciano tribuerint, frustra quaesivi.

Iam accedamus ad libri noni epigrammata Lucianea.

IX. 74. (13. Jacob.) in Palatina *ἀδέσποτον,* in Planudea

---

[1]) quem imitatus est Verg. G. I. 437.

[2]) Sat. V. 17.

[3]) N. A. XIII. 25.

Λουκια^ου^/; locum habet poema inter epigrammata Philippi Meleagrique coronis delibata. Fortasse auctor fuit argumenti Horatius[1])

Nunc ager Umbreni sub nomine, nuper Ofelli,
Dictus, erit nulli proprius, sed cedet in usum
Nunc mihi, nunc illi.

Ceterum novae comoediae trita sunt illa problemata. Equidem *ἀδέσποτον* in medio relinquam, tamen ex Thessalonicensis anthologia depromptum; propter nomen Menippi, quem recentiores nisi e Luciani scriptis non noverunt, falso intellectum a sciolo quodam, nescio an ab ipso Planude Samosatensi hoc epigramma adscriptum est.

IX. 120. (8. Jacob.) in utraque Anthologia ut *ἀδέσποτον* fertur; solus codex Vaticanus, et ille quidem minimi pretii, *Λουκιανοῦ Σαμωσατέως* lemma prae se fert. Iam addito nomine *Σαμωσατέως* elucet epigramma illis temporibus Luciano suppositum esse, quibus omnia haec patriae epitheta singulis scriptoribus addebantur et postquam etiam alius Lucianus (fortasse martyr ille) satis notus fuit. Librarius epigramma, cuius argumentum *παροιμιῶν* locus est communis, forsitan hac re commotus Luciano dedit, quod in mortuorum dialog. XI. 4. scriptum videmus: *οἷόν τι πάσχουσιν αἱ τοῦ Δαναοῦ αὗται παρθένοι εἰς τὸν τετρημένον πίθον ἐπαντλοῦσαι.* Ceterum metaphora legitur apud Theophrastum[2]) et apud Lucretium,[3]) quem ex Epicureis scriptis imaginem deprompsisse verisimile est. Itaque *ἀδέσποτον* epigramma linquamus.

IX. 367. (2. Jacob.) propter eandem causam, qua IX. 74., et quod antecedit epigramma (legitur enim in lemmate *Λουκιανοῦ Σαμωσατέως* [*τὸ ἐπικλ*/ *ἀθ'ἐ* a correctoris manu additum] Luciano non vindicaverim, genuinum Samosatensis esse nego. Videtur autem additamentum *τοῦ ἐπι-*

---

[1]) Sat. II. 2, 133.
[2]) Charact. XX.
[3]) III. 948.

καλουμένου ἀθέου quasi digito monstrare in *ἀποστάτην* (quem Suidas et Hesychius *ἄθεον* appellant), scilicet in Iulianum imperatorem, cuius epigrammata 365. et 368. servantur. Menippi nominis mentione scriba, ut corrigeret lemma, incitabatur.

Restant igitur epigrammata capitis decimi, quae Lucianeaene sint originis, quaestio exoritur. In universum caput decimum tam daedalam, ut ita dicam, speciem prae se fert, ut per se fieri possit, ut etiam Luciani poematia in hunc librum congesta sint. Diogenianei anthologii vestigia praeter X. 122., quod in Palatina *Λουκιλλίου*, in Planudea autem *Λουκιανοῦ* fertur, nulla reperiuntur. Immo vides Meleagrea (1. 2.), Philippea (4.—8. 10. 11. 13. 17.—25. 100.—103.), Palladae (32.? 34. 44.—63. 65. 72. 73. 75. 77.—79.), Agathiana (14.—16. 64. 66.—71. 74. 76.); tum Lucianea (26.—29. 31. 35.—37. 41. 42.), denique Timonis (38.), Cratetis philosophi (104.), Simonidis (105.), Euripidis[1]) (107.). Aeschyli (110.), Phocylidis (117.), Rhari[2]) (121.), Aesopi (123.), Glyconis (124.), magnumque *ἀδήλων* numerum, qui ceterorum librorum poematis incertis minime respondet (3. 9. 12. 30. 33. 39. 40. 43. 106. 108. 109. 111.—116. 118.—120. 124b. 126.), id est 23:127 = 1:5.[3]) Apparet Constantinum Cephalam — nam dubium enasci non potest alium quendam hoc anthologiae caput composuisse[4]) — haec frustula singulorum poetarum ipsum non excerpsisse; immo excerpsit collectionem quandam *προτρεπτικῶν*, in qua omnes illae *παροιμίαι* — ita enim rectius Cephalas[5]) hanc florilegii particulam appellasset — iam congestae erant.

---

[1]) D'Orville perperam *Λουκιανοῦ*.

[2]) nomen nondum sanatum: Engelius: *Νικάρχου*, Stadtmuellerus: *Βάσσου*, Kiesslingius: *Ῥήρου*.

[3]) IX. 58:442 = 1:8. V. 25:309 = 1:12. VI. 25:358 = 1:14. VII. 115:754 = 1:7.

[4]) cf. Wolters, l. l. pag. 99.

[5]) priore capitis parte *προπεμπτικά*, tum *παροιμίαι*.

Inquiramus igitur in Luciani epigrammata.

In universum si conspexeris, fortasse dices ea haud ita digna esse Luciano, id quod saepissime Settius contendit. Tamen quis est qui nesciat interdum dormitare etiam Homerum, itaque saepius etiam Lucianum et in scriptis quidem procul dubio genuinis nimis esse languidum eumque haud ita raro iocis parum salsis fastidium admodum movere? Sed ne *γλαῦκας εἰς Ἀθήνας* ferre tibi videar, qualem epigrammatographum poeta, qui Lucianus fertur, sese praestiterit, expediam.

Epigrammata igitur illa Lucianea sententias admodum tritas exhibent et primo obtutu apparet cum exercitationes esse rhetoricarum scholarum, in quibus illae breves praecipue septem sapientium sententiae in brevem et acutam formam metricam redigi solebant — et epigramma aptissima erat forma hisce exercitationibus —, tum omnia illa epigrammata ab uno eodemque poeta conscripta esse. Per se verisimile non est servatas esse illas quisquilias, nisi ornatae fuissent lemmate tam praeclaro, Luciani Samosatensis nomine.

Iam singula contemplemur epigrammata: X. 26. commendatur epigrammate *αὐτάρκεια*, omnibus paene scriptoribus praeeuntibus; memento Isocratis[1]) de Demonici patre: *ἀπέλαυε μὲν τῶν παρόντων ἀγαθῶν ὡς θνητός, ἐπεμελεῖτο δὲ τῶν ὑπαρχόντων ὡς ἀθάνατος*, quam sententiam ut Menandri refert Ausonius[2]).

Re fruere ut natus mortalis: dilige sed rem
Tanquam immortalis. Sors est in utroque verenda.

X. 27. praeclaram eius sententiam Theo[3]) Pittaco Mytilenaeo tribuit, Diogenes Laertius[4]) autem Thaleti, qui interrogatus *εἰ λήθοι θεοὺς ἀδικῶν*, respondit: *ἀλλ' οὐδὲ διανοούμενος*.

---

[1]) ad Demonic. c. 8.
[2]) epigr. 145.
[3]) Progymnasm. V.
[4]) I. 36.

X. 28. iam vides apud Apollodorum comicum *ἐν Γαλάταις*[1]):

Τοῖς γὰρ μεριμνῶσίν τε καὶ λυπουμένοις
ἅπασα νὺξ ἔοικε φαίνεσθαι μακρά.

X. 29. supersedeo innumerabiles fere afferre locos similes.

X. 30. solo codice Marciano Luciano tribuitur, in Palatino *ἄδηλον* est. Ne hoc quidem novam exhibet sententiam, conferas Euripidis[2]) in Erechtheo:

τὰς χάριτας ὅστις εὐγενῶς χαρίζεται,
ἥδιον ἐν βροτοῖσιν. οἱ δὲ δρῶσι μέν,
χρόνῳ δὲ πολλῷ δρῶσι δυσγενέστερον.

Adde Senecam[3]), Ausonium[4]), Georgium Lapitham[5]).

X. 31. Tritissima sententia.

X. 35. est illud:

Donec eris felix, multos numerabis amicos,
nubila si fuerint tempora, solus eris[6]).

X. 36. fluxit ex Theognidis[7]) versibus:

Ἤ με φίλει καθαρὸν θέμενος νόον, ἤ μ' ἀποειπὼν
ἔχθαιρ', ἀμφαδίην νεῖκος ἀειράμενος.
ὃς δὲ μιῇ γλώσσῃ δίχ' ἔχει νόον, οὗτος ἑταῖρος
δειλός, Κύρν', ἐχθρὸς βέλτερος ἢ φίλος ὤν.

Ducta sunt item e Theognide[8]) X. 37. et 42.[9]) Iam subsistamus paululum in epigrammate X. 41., primum considera hoc epigramma longius et uberius esse quam cetera, ita ut melius iudicium ferre liceat. Sententia ea est, quam Lucianus semper in deliciis habet: „è il solito grido contro l' ammassar richezze[10]).“ Conferas exempli gratia Dialog.

---

[1]) Kock. III. 289.
[2]) Nauck² fr. 367.
[3]) de benef. II. 1.
[4]) epigr. 82.
[5]) v. 462.
[6]) Ov. Trist. I. 9, 5.
[7]) v. 89.
[8]) v. 1153.
[9]) v. 19.
[10]) Setti, pag. 29.

mort I. 3: *τί, ὦ μάταιοι, τὸν χρυσὸν φυλάττετε; τί δὲ τιμωρεῖσθε ἑαυτοὺς λογιζόμενοι τοὺς τόκους;* Quis est quin recordetur iocosi illius *ψηφίσματος* in Menippi § 2, 20; deinde recordare Pisc. 35; nonne tibi simillimus consensus cum epigrammate de quo agimus oculis obversatur? *λέξις* epigrammatis conferri potest cum epigrammate X. 26.: *κτεάνων* et *πολυκτέανον*, quod verbum Lucianus etiam alibi haud raro usurpat; cf. Alex. 24.

Restat, ut de X. 122., quod sola Planudea Luciano adsignatur, iudicium proferamus. Namque de X. 43. alia tradita non inveni nisi lemma *ἄδηλον;* quomodo igitur in Luciani editiones irrepserit, ego non video. — Mirum est solum hoc ex Diogeniano epigramma capite decimo servari magisque mirum, cum totus poematii tenor prorsus diversus sit a Lucillii indole; in epigrammatis certe genuinis nusquam philosophorum sententias expressit; quamquam hac ex re minime concludi licet eum omnino philosophiam non exercuisse immo philosophus erat, sed alius disciplinae, non eius quae *δαιμόνιον* exstare persuasum habebat, id quod infra accuratius expositurus sum[1]). Itaque hoc loco Planudis lemma Palatino praestare elucet, ut saepius, quam rem multis exemplis demonstrare studuit Georgius Finslerus[2]). A Luciano epigramma haud alienum est; omnia vocabula — et sunt in illis minus usitata ut: *τῦφος* et *ὀφρύς* metaphorice, quae saepissime inveniuntur apud cynicos philosophos, *νᾶμα, μαλαχή, πλάτανος, χαμαί* — saepe apud Lucianum occurrunt; expressa est sententia fortasse ex Halcyone[3]): *τῷ δαιμονίῳ δὴ μεγάλην καὶ οὐ συμβλητὴν ὑπεροχὴν ἔχοντι πρὸς τὰς ἡμετέρας δυνάμεις εὐχερῆ τύχον ἴσως ἅπαντα τὰ τοιαῦτα καὶ λεῖα.*

Quantum pertinet ad horum epigrammatum artem metricam, dicendum est ea haud peccare contra leges artis, tamen

[1]) cf. infra pag. 21.

[2]) Kritische Unters. z. Gesch. d. griech. Anth. Diss. inaug. Turic. 1876. p. 124.

[3]) quanquam non ignoro Halcyoneum Pseudolucianeum esse.

carere omni elegantia[1]), id quod etiam de Luciani versibus minime subditiciis in Tragodopodagra et Ocypode valet. (Conferas inprimis epigrammata X. 28. et 29.)

Itaque cum verborum et enuntiatorum usus a Lucianeo minime abhorreat, immo semper ei respondeat, aut Lucianum ipsum aut alium quendam sophistam, qui Lucianum toto quasi corpore noverat, decimi capitis epigrammata illa scripsisse consentaneum est. Sed cum rhetoricas habeamus exercitationes, ipse Lucianus auctor epigrammatum esse potest; id tantum iure quodam suspicabimur adolescentem has *παροιμίας* conscripsisse.

Iam cum persuasum habeam, epigrammata X. 26.—29. 31. 35.—37. 41. 42. 122. genuina Luciani Samosatensis esse, terminum constituere possumus eius fontis, quem Cephalas in consuendo hoc capite excerpsit. Praesto ei erat collectio *παροιμιῶν* Luciano recentior, quae etiam ceterorum illorum poetarum epigrammata continebat, Phocylidis, Glyconis, Aeschyli, Euripidis, reliquorum.

Iam ea epigrammata, quorum lemmata sola una Anthologia Lucillio tribuuntur, examinemus. Primo loco de eis, quae ut *ἀδέσποτα* altera fert, altera Lucillio adsignat, facile iudicium ferre licet. Videmus enim hic, ubi Planudea *ἄδηλον* lemma habet aut lemmate caret, semper iure ac merito Palatinae librarium (et littera B[2]) quidem significatum) Lucillio poema vindicasse. Sunt autem haece lemmata:

Planudea caret lemmate (id quod facile eo explicatur, quod cum praecedente epigramma iunctim traditum erat):

XI. 80. 81. 89. 101. 265.

ἄδηλον praescriptum est hisce:

XI. 132. 137. 139. 217. 240.[3]) 309. 313. 314. (in Palatino coniuncta). 388.

---

[1]) exempli gratia X. 28, 1.

[2]) Die Grabged. d. griech. Anthol. 1889. append.

[3]) tantum in veterioribus Planudeae editionibus.

Palatino lemmate desiderato praevalet Planudes ter: XI. 111. sqq., quae carmina rectius Lucillio quam Nicarcho tribuuntur: conferas 111,2: *αὐτὸν ἀπηγχόνισεν* et 90,2 et 91,2 eadem verba; 113,2. *σήμερον ἐκφέρεται* cum 92,6: *Γάιος ἐκφέρεται.* 116,1: *δέσποτα Καῖσαρ* cum 132,1: *Μισῶ, δέσποτα Καῖσαρ,* e. q. s. 185,1: *δέσποτα Καῖσαρ* in fine versus. 247,5: *ὁπλίζου Καῖσαρ,* . . . . Nomina omnia Lucillius in deliciis habet: Diophantus invenitur: 103,3. 245,1. 257,1. Olympicus: 75,1. 76,1. Marcus: 85,1. 90,1. 93,1. 94,1. 135,1. 143,1. 194,3. 276,1. 277,1 312,2. Hermogenes: 89,1. 131,4. 190,1. 257,1. Cronus: 160,1. 161,4. 183,1. 2. 4. Dionysius: VI. 166,1. XI. 90,1. 246,1. 247,1. Menophanes: 249,1. Credo igitur recte Planudem epigrammata 111.—116. Lucillio adsignasse, eodem iure, quo 316. et 394. dissuadente Palatino Lucillio tribuit.

Inter duos poetas ambigitur in libris hisce lemmatis [1]):

IX.	573.	Pal.: *λουκίλλου.*	Plan:	*ἀμμιοῦ.*
XI.	95.	„ *λουκιλλίου.*	„	*ἀββιανοῦ.*
	142.	„ *λουκίλλου.*	„	*ἀμμιανοῦ.*
	155.	„ *λουκίλλου* [2])	„	*ἀμμιανοῦ.*
	186.	„ *νικα*$^{χ}_{ρ}$.	„	*λεων*$^{δ}_{ι}$.
	187.	„ *λεων*$^{δ}_{ι}$.	„	*λουκίλλ̄.*
	281.	„ $^{ε}_{τ}$ *αὐτõ* (i. e. Palladae)	„	*λουκίλλου.*
	282.	cohaeret cum 281.	„	*τοῦ αὐτοῦ.*
	293.	Pal.: *τ̄ αὐτ̄* (i. e. Palladae)	Plan:	*λουκίλλου.*
	294.	„ *λουκίλλου.*	„	*παλλ*$^{δ}_{α}$.
	295.	„ *τοῦ αὐτοῦ.*	„	*τ αὐτ.*
	310.	„ *λουκίλλου.*	„	*παλλ*$^{δ}_{α}$

---

1) Brunckius 173.—179. errans Philippo tribuit.

2) Jacobs per errorem *Ἀμμιανοῦ.* Sed in margine scripta sunt 153. (*λουκίλλου*) et 155 (*τοῦ αὐτοῦ*).

330. Pal.: *νικα*$^{χ}_{ρ}$. Plan: *λουκίλλου.*

372. „ *ἀγαθῖ* σ$^{ο}_{χ}$λ „ *λουκίλλου.*

En, vides inter paucos tantum poetas aliud traditum esse. Pro certo adfirmari potest, IX. 573. Ammiano tribuendum esse, tum XI. 95. Lucillio, item 142. 155; Palladae 281. 282. 293. 294. 295.; Lucillio 310.; Nicarcho 330.; Agathiae 372. Solis in lemmatis 186. et 187. haereo; cum isopsepha non sint, Leonidasque nisi isopsepha non conscripserit, potius Lucillio quam Leonidae epigramma 187. tribuam, neque adeo audax est coniectura confusa esse nomina: *ΛΕΩΝΙΔΟΥ* et *ΛΟΥΚΙΛΛΟΥ.* Idem sentiam de lemmate 214.

Palladae et Lucillii nomina confusa esse non contendam, sed *ΤΟΥΛΥΤΟΥ*
et *ΛΟΥΚΙΛΛΟΥ*
facile immutari potuerunt. Ceterum 330. et 372. fortasse sic explicatur excidisse lemma in archetypo librariosque nomina poetarum coniectura restituisse.

Carmina cum duplici lemmate duo tantum exstant:

V. 68: *λουκιλλί οἱ δὲ πολέμωνος τοῦ ποντικοῦ* Palatinus, eadem manu.

λουκίλλου Planudes.

de quo iudicium ferri non potest, cum plane ignoremus, quis sit ille Polemo Ponticus; fortasse idem atque Polemo Basileus, quem epigrammatographum fuisse videmus ex IX. 746. et XI. 38. et quem Philippi coronae additum fuisse suspicandum est. Sed sunt plures Pontici reges, de quibus uberrime amicus Rudolfus Hennig disseruit[1]); ille unum Augusto imperante, alterum Claudio et Nerone imperatoribus Ponti regnum obtinuisse evicit. Sed ex brevissimis istis fragmentis certum iudicium proferre abstineo.

---

[1]) Symbolae ad Asiae minoris reges sacerdotes Polemonemque I. Ponti regem. Lips. 1893.

IX. 55. *λουκιλλί οἱ δὲ* |
μενεκράτους |
Σαμίου: ∼ corrector Palatini in fine versus, praeterea *λουκιλλί* manus recentior in margine interiore.

λουκιλλȣ¦ *οἱ δὲ τȣ αυτȣ̂* (scilicet *μενεκράτους*) Planudes. — Concedendum est Menecratem Samium auctorem epigrammatis non esse; imitabatur enim epigrammatis 55. scriptor Menecratis 54.[1]) Rectene Lucillii nomen traditum sit, equidem ignoro.

Incerta epigrammata Lucillio vindicare dubito, cum persuasum habeam totam huius saeculi epigrammatum indolem prorsus eandem esse, ita ut quae Lucillio tribuimus eodem fere iure Ammiano, Nicarcho, aliis tribui liceat.

Quoniam quae epigrammata iure ac merito Lucillio tribuenda sint, ad finem pertractavimus, iam ad ipsam Lucillii personam accuratius describendam pervenimus, ac primum quidem ea quae e poematiis eliciantur colligere liceat, deinde circumspiciamus Lucillios huius aetatis; fortasse inveniemus eum, qui poematia illa conscripserit.

Post ea, quae Rossbachius[2]) de nominis forma *λουκιλλίου* cum duplici *λ* littera scripta exposuit, restat, ut addam, quae ex ipsis versiculis Lucillii et libris manuscriptis lucremur.

Se ipsum poeta appellat *Λουκίλλιος* XI. 196,3 et VI. 164,3, quibus locis duplicem litteram *λ* libri exhibent. In Planudea lemma semper *λουκίλλου* scriptum videmus, in Palatino codice scribae varium in modum exaraverunt nomen.

Librarius B[3]) fere semper *λουκίλλου*, paucis tantum lemmatis exceptis, scripsit.

---

[1]) cf. Susemihl. hist. litt. al. II. 548, 158. Reitzenstein. l. l. pag. 98.

[2]) „Jahrbücher“ 1891, pag. 100.

[3]) Weisshaeupl l. l. app. 2.

Corrector C formam *λουκιλλίου* solam admisit.

Scriba S[1]) sola *λουκίλλου* forma utebatur. A librario A, quod Stadtmuellerus testatur, lemma nunquam exaratum est.

Lucillii vitae ut, quae enucleari possint, enucleemus, fontem primarium carmen IX. 572. adeamus. Unde concluditur:

1) carmen esse, quo collectionem epigrammatum inauguravit.

2) carmen alterius esse collectionis, itaque eum iam antea epigrammaton librum — suorum scilicet — edidisse.

3) Neroni imperatori dedicatam esse alteram collectionem.

4) Lucillium paullo ante a Nerone dono accepisse pecuniam.

5) Eo convincitur eum antea aut pauperem aut aere alieno oppressum fuisse.

6) Verisimile est Lucillium Romae commoratum esse, quia a Nerone dignus habebatur, qui dono ornaretur.

Reliqua carmina si contemplemur, pauca addere licet, quibus modo dicta illustrantur.

Imperatorem saepius invocat, sed pro certo adfirmari nequit semper Neronem intelligendum esse. Sunt hi loci: XI. 75,1 *Σεβαστέ,* 116,1 *δέσποτα Καῖσαρ,* 132,1 *δέσποτα Καῖσαρ*; hoc in carmine v. 5. videmus *ὦ ὕπατε Ζεῦ*; unde quaestio exoritur, utrum re vera Juppiter an imperator in deorum numerum receptus invocatus sit; quam quaestionem decernere nolo; sed si ille *δεσπότης Καῖσαρ* Nero esset, terminum haberemus, post quem epigramma compositum esset, scilicet post annum 65. p. Chr. n.[2]), quo Nero se ipse deum promulgavit. Equidem contra enuntiatum *ὦ ὕπατε Ζεῦ* nostrati: „ach du lieber Gott!“ comparem. — Unum ex hoc epigrammata discimus iuvenem Lucillium

---

[1]) Weisshaeupl l. l. app. 19.

[2]) Schiller, Nero 581. Beurlier: essai sur le culte rendu aux empereurs romains. 1891. p. 72. Borghesi. Oeuvres 3,129. 283.

haec epigrammata conscripsisse (*μισῶ . . . ., ὅσοις νέος οὐδέποτ' οὐδεὶς ἤρεσε*). — 185,1 *δέσποτα Καῖσαρ*, 247,1 *ὁπλίζου, Καῖσαρ*; quae invocationes omnes tales sunt ut certum poetae consilium non intelligatur. Ultimum 247. epigramma mirum in modum Gardthausenus[1]) interpretatus est: suspicatus est adlusisse Lucillium ad Sextum Pompeium, quem propter eius in Sicilia bella maritima et propter tyrannicam eius potestatem Dionysium appellasset; *Καίσαρα* esse Octavianum Caesarem. Non intellexit vir doctus, puto, ironiam epigrammatis. Irridetur nauta quidam malam navem gubernans, in quam iam totum pelagus intravisset. Similia argumenta habes 245., 246. et 248. Bianoris (?).

Philosophiae Lucillium deditum fuisse, ut iam supra[2]) dixi, evincitur ex irrisionibus eorum philosophorum, qui Lucillii disciplinae adversarii erant, inprimis Cynicorum: conferas 153., 154., 155.; fortasse Lucillius Epicureis favebat, quae res tamen non prorsus liquet. Nam verba 93,1. 103,1. 249,5. solum de atomis Epicureis agunt; et ita quidem ut cum atomis comparentur pusilli, quos inferiores esse atomis ipse Epicurus concederet. Medicis, astrologis, grammaticis, rhetoribus, gladiatoribus vehementissime et acerbissime maledicit, ita ut Lucillium ipsum has artes haud professum esse verisimile sit. Contra miratus sum poetam nusquam iuridicis et magistratibus maledicere; unde haud scio an concludi possit eum ipsum quoque iuridicis quondam studiis deditum magistratibusque functum esse. Invehitur etiam in malos poetas, praecipue in Melitonem quendam, cuius tragoediam Nioben audacter vellicat (143,6. et 246,6: *δρᾶμα σαπρόν*), tum in Heliodorum epigrammatographum (134. 137.), in Marcum elegiacum (135.), Callistratum epicum (136.), Eutychidem melicum (133.), Potamonem et Hermogenem (131.). Qui sint illi poetae, ne suspicari quidem licet. Porro epigrammate

---

[1]) Augustus. II. 1, 129.
[2]) cf. supra pag. 15.

XI. 140. acerbissime Homericos et Aristarcheos perstringit:

τούτοις δὴ παρὰ δεῖπνον ἀοιδομάχοις, λογολέσχαις,
τοῖς ἀπ' Ἀριστάρχου γραμματολικριφίσιν .....

Apparet igitur eum Callimacheum fuisse. Sed videmus ex hoc epigrammate, qua vehementia hisce quoque temporibus certatum sit inter grammaticos.

Accedit quod in deliciis habet Lucillius, versus Homericos parodice detorquere, id quod rectissime Engelius iam perspexit et ego quidem alio loco coarguere me posse spero.

Eum Romanum fuisse etiam carmine 255,6. evincitur:
Ῥωμαίοις δ' οὐδεὶς πρὸς γεράνους πόλεμος.

Rufus grammaticus sitne idem atque is, qui a Iuvenale[1]) una cum aliis perstringitur, equidem nescio.

Quoniam quae ex epigrammatis elici poterant, excerpsimus, quaeremus Lucillium, qui auctor horum epigrammatum esse potest. Ac priusquam ea, quae Otto Rossbach[2]) disseruit, legeram, iam antea mihi in mentem venerat C. Lucilii Iunioris, L. Annaei Senecae philosophi amicissimi, ad quem ille scripsit Dialogorum librum primum, Naturalium Quaestionum libros moralesque epistulas. Cuius vitam si cum epigrammatographi vita comparaverimus, omnia inter se congruere inveniemus. Oriundus erat Senecae amicus Pompeiis aut Neapoli; Seneca natu minorem fuisse testatur ep. 26,7; idem ignobilibus fuit natalibus (ep. 44,1.). De sua iuventute audi ipsum Lucillium apud Senecam: Nat. qu. IV. praef. 14. Postquam eum 'in medium protulit ingenii vigor, scriptorum elegantia, clarae et nobiles amicitiae, adeo ut latere non posset' (Ep. 19, 3. 4.), et postquam 'natalium angustias eluctatus est' (N qu. IV. pr. 15.), a Nerone procuratione Siciliae ornatus et eques Romanus sua industria factus est. Iam intelliges epigrammatis IX. 572,6: *χαλκὸν ἔδωκε*

[1]) VII. 213. sqq.
[2]) cf. pag. 19. adn. 2.

Νέρων: sunt illa sestertia, quae equestris ordinis erant, (itaque *χαλκὸν* singulare pro illa pecunia certis terminis fixa.). De eius procuratione conferas Kleinii librum[1]), qui eam annis 62.—65. fuisse edocuit. Cum procurator esset Lucilius, 'transiit Peninum Graiumque montem, deserta Candaviae, Syrtes, Scyllam et Charybdim procuratiunculae pretio' (Ep. 19,5.). Summi momenti id quoque est eum 'in amicitia Gaetulici (N. Qu. IV. praef. 15.), quem infra epigrammatographum fuisse videbimus, Caligulae, Messalae, Narcissi minas sprevisse'. — De scriptis eius iam pauca addere liceat; 'gratuita carmina, cum iuvenis esset, composuit' — nimirum epigrammata graeca, quorum magnam partem etiam nunc tenemus — usque ad id temporis, cum philosophiae se dederet, id est, usque ad procurationem. Tum Seneca (ep. 46,1.) gratias agit Lucillio eique gratulatur de libro quodam, quem ille Senecae miserat: 'librum tuum, quem mihi miseras, accepi .... non tantum delectatus, sed gavisus sum; .... fecit aliquid et materia, ideo eligenda est fertilis, quae capiat animum, quae incitet.' — Qualis fuerit materia, ignoramus; tamen suspicari licet, philosophicam eam fuisse, ex verbis:

'levis mihi visus est, cum esset nec mei nec tui corporis, sed qui primo adspectu aut Titi Livi aut Epicuri posset videri.' (Ep. 46,1.)

Lucilii dicendi genus laudibus effertur a Seneca ep. 59,4, et 199: 'habes verba in potestate, ... non effert te oratio nec longius quam destinasti trahit .... pressa sunt omnia et rei aptata .... adparet animum quoque nihil habere supervacui, nihil tumidi. Invenio tamen translationes verborum .... imagines' .... e. q. s.

Sed etiam latina Lucilii carmina adferuntur a Seneca: N. qu. III. 26,6: laudat carmen, in quo agebatur de Alpheo et Arethusa; N. qu. III. 1,1. citatur versus hexameter ad Siciliam pertinens:

[1]) J. Klein: Die Verwaltungsbeamt. Sic. u. Sard. p. 183. Lehmann Philol. VIII. 325. sqq. Schultess de Senecae qu. nat. et ep. p. 18.

elisus Siculis de fontibus exsilit amnis.

Ep. 24, 59 sqq: mors non una venit, sed quae rapit, ultima mors est.

Iambi Lucilii laudantur ep. 8, 10:

Non est tuum, fortuna quod facit tuum;
dari bonum quod potuit, auferri potest.

Tum etiam, cum Siciliam circumiisset, Aetnam carmine descripturus erat (ep. 79, 5—7); unde Wernsdorfius conclusit Aetnam carmen Pseudovergilianum, quod exstat, Lucilii esse. Quam sententiam equidem amplecti non possum. Hoc unum argumentum adfero: Seneca a Lucilio petit, ut cum Siciliam carmine descripturus sit, etiam Aetnae descriptionem, attamen episodicam, intexat; itaque cum quod servatum est carmen non episodium sit maioris cuiusdam libri, sed carmen didacticum omnino conclusum et perfectum, ferri nequit Wernsdorfii sententia[1]).

Praetereundum non esse mihi videtur, Lucilium inprimis Ovidium et Vergilium imitatum esse, id quod Seneca N. Q. IV. 2, 2: dicit: 'quare non cum poeta meo iocor et illi Ovidium suum impingo?'

Multo autem magis quam ipse imitatus est priores, posterioribus poetis Lucilius exemplum erat. Praetermitto eius in Anthologia ipsa sectatores, nominasse satis habeo Romanos Martialem[2]) et Ausonium, quorum ille tam multa a Lucilio mutuatus est, ut pleraque eius argumenta scoptica a Lucilio deprompta esse putemus. Martialem Lucilii pedisequum fuisse haud mirum tibi videtur, si tecum computaveris Martialem Senecae compatriotam[3]), Lucilium Senecae amicum fuisse. Nonne verisimile est Bilbilensem poetam cum epigrammatographo vinculis quibusdam coniunctum fuisse?

---

[1]) cf. Ribbeck. hist. poes. rom. III. 129. — Wagler, de Aetna poemate qu. crit. 1884. 61. sqq.

[2]) cf. Ribbeck. hist. poes. rom. III. 282. — Friedlaender. ed. Mart. I. pag. 19,1.

[3]) cf. Mart. IV. 40,2.

De arte metrica Lucilii pauca addere liceat. Quanquam neque in ipsa distichi expoliendi arte neque in re prosodica ab optimis Graecorum et Romanorum poetis distat, tamen versus eius, praecipue hexametri, ut ipsa levis materiae indole flagitatur, admodum similes sunt Horatianis, quibus cotidianum sermonem quam fieri potuit verissimum adumbravit.

Habemus enim 299 hexametros, in quibus dactylorum et spondeorum comparatio haec est: 1095: 400, id est 2,75: 1. *ὁλοδακτίλους* computavi 43, *μονοσπονδείους* 143, cum duobus spondeis versus 82, cum tribus 31.

Rationes singulorum pedum has habes:

pede	primo	spondei	135,	dactyli	164,	i. e.	1 : 1,2.
„	secundo	„	133,	„	166,	„	1 : 1,2.
„	tertio	„	87,	„	212,	„	1 : 2,4.
„	quarto	„	44,	„	255,	„	1 : 5,8.
„	quinto	„	1,	„	298,	„	1 : 298.

Spondeorum sedes has observavi:

Versus cum uno spondeo: ponitur spondeus

in	pede	primo	versibus	56.
„	„	secundo	„	51.
„	„	tertio	„	29.
„	„	quarto	„	7.

Duos spondeos hisce pedibus habes:

pedibus:	primo et secundo:	versibus:	24.
„	primo et tertio:	„	17.
„	primo et quarto:	„	9.
„	secundo et tertio:	„	18.
„	secundo et quarto:	„	12.
„	secundo et quinto:	„	1.
„	tertio et quarto:	„	1.

Tres spondeos vides sic inter pedes distributos:

pedibus:	primo, secundo, tertio:	versibus:	16.
„	primo, secundo, quarto:	„	9.
„	primo, tertio, quarto:	„	4.
„	secundo, tertio, quarto:	„	2.

Incisionum et diaeresium hos collegi numeros:

Penthemimeres usurpatur versibus: 25.

Penthemimeres cum bucolica incisione: 157.

Trithemimeres cum Hephthemimere: 2. (XI. 270,1. 390,1.)

Trithemimeres cum Hephthemimere et bucolica incisione: 1. (XI. 410,7.)

μετὰ τρίτον τροχαῖον: 45.

μετὰ τρίτον τροχαῖον cum bucolica: 69.

Adamavit ergo penthemimeren et trochaicam cum bucolica incisione coniunctas.

De prosodia vix quidquam memoratu dignum inveni: correptionem atticam modo respexit, modo neglexit Lucilius, sed maxime corripit syllabam sequente coniunctione litterarum mutarum cum liquida *ρ*. Unum est, quod moneo: XI. 80,2:

Ἆκιν· οὐδένα γὰρ πώποτ' ἐτραυμάτισεν,

id quod fortasse gravi interpunctione excusatur. Hiatus, nisi legitimos, quantum vidi, evitavit.

Restat, ut de epigrammate Iunioris lapide servato (exstat apud Kaibel. ep. gr. 810. Inscr. gr. et lat. Sic. 889.), quod Sinuessae veteris, id est in Campania, repertum est, nunc in museo Neapolitano servatur, iudicemus.

Ἰουνίωρος.

Ἀκταῖς τὴν ὅμορον Σινυητίσιν Ἀφρογένειαν,
ξεῖνε, πάλιν πελάγους βλέψον ἀνερχομένην.
Ναοί μοι στίλβουσιν ὑπ' Ἠόνος ἥν ποτε κόλποις
Δρούσου καὶ γαμετῆς θρέψεν ἄθυρμα δόμος.
Ἐκ δὲ τρόπων πειθώ τε καὶ εἵμερον ἔσπασε κείνης
πᾶς τόπος εἰς ἱλαρὴν ἄρτιος εὐφροσύνην.
Βάκχου γὰρ κλισίαις με συνέστιον ἐστεφάνωσεν
εἰς ἐμὲ τὸν κυλίκων ὄγκον ἐφελκομένη.
Πηγαὶ δ' αὖ περὶ πέζαν ἀναβλύζουσι λοετρῶν,
παῖς ἐμὸς ἃς καίει σὺν πυρὶ νηχόμενος.
Μή με μάτην, ξεῖνοι, παροδεύετε γειτνιόωσαν
πόντῳ καὶ Νύμφαις Κύπριδα καὶ Βρομίῳ.

Ἰουνίωρος lemma diversum esse a *Νεώτερος,* quod in Palatina anthologia VII. 219. IX. 28. invenitur et ad Pompeium Secundum Iuniorem iure ac merito refertur ab Hillschero[1]), recte statuit Kiesslingius[2]), qui hoc epigramma iam Senecae amico vindicavit. Anathema est in Venerem *ἀναδυομένην,* de quo argumento conferas Lucilii in Anthologia XI. 174., quo carmine Antipatri Sidonii epigramma (XVI. 178.) parodice perstringit. Positus est lapis ab Eone, quae in Drusi domo nata erat; igitur optime ad nostram, de qua agimus, aetatem quadrat. En, habes etiam cognomen Lucilii, Iunioris.

Tota de Lucilio disputatione confecta haud scio an operae pretium sit, ea quae supra pag. 6. de poetae ingenio adumbravimus, paullo uberius illustrare et exemplis confirmare.

Poetae ut cotidianum sermonem poeticum reddant, iis potissimum sententiarum enuntiatorumque immutationibus utuntur, quas antiquorum artis rhetoricae scriptorum exemplum secuti *τρόπους* nominare adsuevimus. Definitur autem tropus a Charisio[3]), Aemilio Scauro praeeunte: tropus est dictio translata a propria significatione ad non propriam [per] similitudinem necessitatis aut cultus gratia. Apud Quintilianum[4]) quattuordecim troporum genera enumerata videmus, in his usitatissima et minus usitata; cum Lucilii troporum usum perlustrare conemur, ea tantum genera enumerare libet, quae apud poetam ipsum saepius inveniuntur.

---

[1]) Hominum litteratorum Graecorum ante Tiberii mortem in urbe Roma commoratorum hist. crit. — Annal. phil. Suppl. XVIII. 1892. p. 405. sq.

[2]) Ind. lect. Greifswald. 1884/85.

[3]) p. 272. K.

[4]) inst. or. VIII, 6. — Volkmann, rhetor. pag. 415 sqq.

Metaphorae pauca inveni exempla:

οἶκος ἐχώρει. XI. 87,1.

ἦρεν ὁ καπνός. XI. 99,1.

Bene poeticum colorem adumbravit poeta hisce metaphoris:

στίχινος θάνατος. XI. 135,4 et similiter:

φονικῶν ἑξαμέτρων πόλεμος. XI. 136,4.

Plura metonymiae apud Lucilium sunt exempla; praecipue deorum et heroum Homericorum nomina usurpantur, ubi eorum *τύπους* exspectamus: Rheam (XI. 69,2) aut Hecubam (XI. 212,4 et 404,6) dicit poeta vetulas; Priamum (XI. 132,3) hominem grandaevum; Helenam (XI. 278,2 et 404,6) uxorem aut bellam aut perfidam; Paridem (XI. 278,2) adulterum. Deorum et heroum nomina metonymice usurpata apud omnes fere poetas inveniuntur; apud nostrum: Phaethon pro sole (131,2), Charon = inferi (133,5), Hercules pro viro robusto (95,4); Ixionem et Tityum appellat scelestos (143,3.4); similiter *Ὠκεανός* (245,2. 247,3.4), *Νέμεσις* (216,2), *Πήγασος* et *Βελλεροφόντης* (392,3) cum simplicibus familiaris sermonis verbis immutantur.

Periphraseos unum tantum investigavi exemplum: 403,5. *Αὐσονίου πόμα Βάκχου.*

Sed poetae ingenium eis, quae iam sequuntur, figuris adhibitis multo praeclarius elucescit: primum de onomatopoeia quae notavi proferam.

Verba aut nova finxit aut iam exstantia immutavit, ut enuntiati cuiusdam vis et impetus exaggeraretur et augeretur. Sunt autem haec verba, quae apud Lucilium primum inveniuntur:

ἀοιδομάχος. 140,1.

ἀποσφίγγω. 210,2.

ἀποσφραίνω (notione sese odore quodam reficiendi) 165,2.

βακτροπροσαίτης. 410,1.

βιβλάριον. 78,2.

γραμματολικριφίδες. 140,2.

δαμάτειρα. 403,1.

ἐκτραπέλως. 402,3.
ἑτερόζηλος. 216,4.
ἡμιφάλακρος. 132,3.
κατασπαταλάω. 402,2.
λογολέσχης. 140,1.
λωμάτιον. 210,2.
μακρογήρως. 159,1.
μακροφλυαρητής. 134,4.
μισόπτωχος. 403,1.
νηπυτιεύομαι. 140,4.
νυκτικλέπτης. 174,4.
ξηροφαγέω. 205,4.
ὁλοσφύρητος 174,3. pro usitatiore verbo: ὁλόσφυρος.
οὐρεοφοιτάς. 194,1.
παμψηφεί. 239,5.
παραρπάζω. 153,3.
πεντετριαζόμενος. 84,6.
πεντόργυιος pro usitatiore πεντώρυγος. 87,1.
προσκατασίρω. 174,3.
πρωτοκύων. 154,4.
πωγωνοφόρος. 410,1.
ῥιγομάχος. 155,2.
ῥιζοβολέω. 246,4.
στίχινος. 135,4.
συοφοντίς. 194,3.
τρικόρωνος. 69,1.
τριπιθήκινος. 196,1.
ὑπεκχαλάζω. 200,2.
φιλοσπήλυγξ. 194,1.
χιτωνάριον. 154,6. (alias χιτωνίσκος.)
ὠμοβόειον, τὸ. 137,1.
ὡροθετέω. 160,1. 161,4.

Catachreseos, sive ἀκυρολογίας, quae apud ceteros poetas haud ita saepe invenitur, apud Lucilium frequentissima exstant exempla:

137,3: κατακλύζεις ἐπιγράμμασιν.

148,3: *τῇ χειρὶ .... σολοικίζει.*

165,1: *διχάλκῳ / αὐτὸν ἀποσφραίνει.*

246,1.2: *ἐκ ποίων ἔταμες, Διονύσιε, τὰ ξύλα ταῦτα / λατομιῶν; ποίων τὸ σκάφος ἐστὶ μύλων;*

247,4: *πηγὴ δ' ὠκεανοῦ ξυλίνη.*

249,6: *πάντα γέμειν ἀγρῶν.*

253,1.2: *ἐκ ποίων ὁ πατήρ σε δρυῶν τέτμηκεν, Ἀρίστων, / ἢ ποίων σε μύλον κόψατο λατομιῶν.* (cf. 246.)

265,2: *ψυλλῶν ἱππικόν.*

310,2: *ὄψιν ἂν ἠγόρασας.*

313,1: *ἀργυρέῃ λιμῷ.*

313,2: *πειναλέους πίνακας.* (cf. 314,4.)

313,3: *ἀργυροφεγγέϊ λιμῷ.*

400,1: *Γραμματικὴ φυσίζοε.*

400,2: (*Γραμματικὴ*) *λιμοῦ / φάρμακον εὑρομένη.*

400,5.6: cf. infra, ubi de parodiis egimus.

403. paene totum epigramma catachreseos exemplum est.

408,1: *τὸ γῆρας οὔποτε βάψεις.*

Adamavit igitur Lucilius catachreseos tropum, et coniunctam quidem saepissime cum hyperbola, de qua infra accuratius agendum erit.

De epithetis verbum amplius addere vix opus est, itaque ad ironiae Lucilianae exempla statim transgrediamur. Rhetores quinque ironiae genera statuerunt: *σαρκασμόν, ἀστεϊσμόν, ἀντίφρασιν, παροιμίαν, μυκτηρισμόν.* Apud Lucilium solum sarcasmum et paroemiam invenimus.

Omnia fere Lucilii carmina, quibus factum aliquod enarrat (et sine ira et studio enarrare videtur), acerbissimi plena sunt sarcasmi. Ea quae fieri nequeunt, ab eis, quibus poeta maledicit, facta esse tranquillo, ut videtur, animo, quasi sit rerum gestarum scriptor, commemorat. Exempli gratia inspicias epigrammata 159. 163. 164. 165. 171. 172. 175. 205. 208. 391. (lepidum fabulae exemplum, quo inter avarum et murem dialogus perstringitur.) 392. 400. et 403. cum emphasi dicta eo magis ironiam redolent,

tum 404. et 405. Sed non attuli nisi praeclarissima sarcasmi exempla.

In paroemiis et parodiis paululum subsistamus. Homeri inprimis personas et versus parodice perstringendi iam apud Epicharmum luculenta videmus argumenta (*Ὀδυσσῆς*, *Ὀδυσσεὺς αὐτομόλος* exempli gratia eius sunt tituli), qui tamen, quantum ex fragmentis perspicere possumus, heroas tantum homericos ridiculas reddidit personas. Idem fere valet de Atticorum poetis comicis (Cratetis *Ὀδυσσῆς*), sed vellicabant potius tragicorum personas et dicta.[1]) Certam autem rationem in adludendo ad Homeri versus primi Cynicae philosophiae satellites eiusque asseclae statuerunt.[2]) Quorum fragmenta si perlustraveris, invenies omnes fere versus, quos scripserunt, aut totos ex Homero depromptos, ridiculo tamen conexu coniunctos, aut paululum detortos esse, ita tamen ut unusquisque, qui audiebat has parodias, facile genuinam Homeri originem animadverteret. Saepissime autem parodiam ita tantum formabant, ut epicorum poetarum morem secuti nova fingerent verba, quae facile ad ea, quae sectabantur, adsonabant, praesertim cum eadem versus sede invenirentur.

Quorum cynicorum morem rationemque in decantando Homero Lucilius quoque saepius secutus est. Conferas, velim, exempla cum cynicis, prorsus eandem videbis rationem!

Totos Homeri versus aut paullulum tantum detortos hisce inveni locis:

134,3: *ἄσσον ἴθ', ὥς κεν θᾶσσον ὀλέθρου* .... cum aposiopesi coniunctum. Conferas idem in Iliade Z 143.

137,4.5. *βούλομ' ἅπαξ πρὸς κῦμα χανεῖν* .... Cf. Od. M 350., quo loco de Solis bobus ab Ulyssis sociis comesis

[1]) W. Ribbeck: app. ad ed. Aristoph. Acharn.

[2]) Teufer: De Homero in apophthegmatis usurpato. 1890. p. 3. sqq. Wachsmuth: de Timone Phliasio. pag. 37. sqq.

Eurylochus amicos hortatus dicit: *Βούλομ' ἅπαξ πρὸς κῦμα χανὼν ἀπὸ θυμὸν ὀλέσσαι.*

140,2. Illud *γραμματολικριφίδες* a Scholiasta Wechels. ita explicatur: *λικριφίσιν δὲ εἶπε ἐκ τοῦ πλαγίου. Ὅμηρος Ἰλ. ξ'* (462):

Πουλυδάμας δ' αὐτὸς μὲν ἀλεύατο κῆρα μέλαιναν | λικριφὶς ἀΐξας.

140,5. *μή με βάλῃς κατὰ λέξιν ἕλωρ καὶ κίρμα γενέσθαι*; ut in Homereo versu: *Κάλλιπεν οἰωνοῖσιν ἕλωρ καὶ κύρμα γενέσθαι* Od. *Γ* 271.

189,5. *οἱ δὲ θεοὶ πὰρ Ζηνὶ καθήμενοι ἐξεδύθησαν* cf. Il. *Δ* 1: *οἱ δὲ θεοὶ πὰρ Ζηνὶ καθήμενοι ἠγορόωντο.*

191,1: *Ἆρες, Ἄρες, βροτολοιγὲ, μιαιφόνε, παύεο, κουρεῦ* = Il. *E* 455. *Ἆρες, Ἄρες, βροτολοιγὲ, μιαιφόνε, τειχεσιπλῆτα.*

211,4. *Τρῶες ἀρηΐφιλοι.*

239,1. De Chimaera dicit Homerus: Il. *Z* 182: *δεινὸν ἀποπνείουσα πυρὸς μένος αἰθομένοιο*

et Lucilius: *Οὔτε Χίμαιρα τοιοῦτον ἔπνει κακὸν .... πυρίπνους.*

253,3. *Ἡ γὰρ ἀπὸ δρυὸς ἐσσι παλαιφάτου ἢ ἀπὸ πέτρης,* apud Homerum legitur tantum: *οὐ γὰρ* ... et *οὐδ' ἀπὸ πέτρης.*

274,1. *εἰπέ μοι εἰρομένῳ.* conferas Od. *O* 263. *Ω* 114.

403,7. *ἀχάλκεον οὐδόν.* Respicitur ad *χάλκεον οὐδόν* aut deorum (Il. *Θ* 15.) aut Alcinoi regis (Od. *H* 89.).

Adlusisse Lucilium puto ad Homeri: *ἐν ἠεροειδέϊ πόντῳ* verbis 313,3. *ἐν ἀργυροφεγγέϊ λιμῷ.*

Alios poetas haud ita saepe decantavit Lucilius. Haec enumeravi exempla:

De Antipatri Sidonii epigrammatis XVI. 174,1 parodia iam diximus supra pag. 27., nec non de Parthenii versu, pag. 10. Accedunt hi versus:

136,1. Arati versus est Phaen. 131: *οἳ πρῶτοι κακοεργὸν ἐχαλκεύσαντο σίδηρον | εἰνοδίην.*

178. Totum epigramma perstringit Anacreontis IX. 715. de vacca Myronis.

179. simile est Asclepiadis XII. 75. de Amore.

183,5. *ὅς δ' ἄλλῳ κακὰ τεύχει, ἑῷ κακὸν ἥπατι τεύχει,* versus est Callimachi fragm. 222. Schneid.

400,5. *καὶ γὰρ σοῦ μεσταὶ μὲν ὁδοί, μεστὴ δε θάλασσα | καὶ λιμένες.* Cui non in mentem venit Arati versuum Phaen. 2. sqq.

μεσταὶ δὲ Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαί, | πᾶσαι δ'ἀνθρώπων ἀγοραί, μεστὴ δὲ θάλασσα καὶ λιμένες.

Haec fere sunt exempla, quae de Lucilii versibus parodicis erant adferenda.

Iam cum ad extremam troporum figuram, ad hyperbolam, pervenerimus, antea moneamus: quanquam etiam priores poetae, praecipue comici, interdum hyperbolam admiserunt, tamen totum genus poeseos hyperbolicae ante Lucilium non inveniri. Perquisivi omnia fere quae exstant comicorum fragmenta, sillographos, epigrammatographos, qui ante Lucilium fuerunt, inscriptiones Pompeianas parietinarias, nihil inveni, quod simile esset Lucilianae poesi. Itaque Lucilium — nam eum antiquissimum Diogenianeorum poetarum esse ipsa eius aetate convincitur — genus poeseos scopticae, et hyperbolicae quidem, primum tentasse puto, laudique ei sane est, novi aliquid invenisse, quod ita perplacuit subsequentibus poetis, ut quam artissime, fideles tanquam pedisequi, Lucilii vestigia insequerentur. Ne apud Romanos quidem, a quorum ingenio haec ludificandi ratio haud est aliena, exempla hyperbolicae poeseos inveni, exceptis interdum paucis Lucilii, Catulli, Priapeorum, Horatii versibus, qui tamen e Cynicorum scriptis hac in re haurire non potuit.

Variarum hyperbolarum rationes apud Lucilium ut colligam, in quattuor, quae discernuntur, species exempla disponam.

1) hyperbola efficitur solo comparativo aut superlativo

adhibito aut verbo addito, quod rem semel factam quasi semper factam esse indicet:

135, 2. νεκρότερον.

137,2. ὠμοβοειότερα.

134,4. Ἡλιοδωρότερον (vel nominis appellativi comparativum admisit.)

68,2. μελαινοτάτας. (quod apud reliquos auctores desideratur).

259,2: οὐ δύνατ' αὐτὸν (σαλεῦσαι) ὅλης φάρμακα Θεσσαλίης. e. q. s. s.

2) Exaggerantur verba aut nova et inaudita finguntur:

69,1. τρικόρωνος.

140. vide supra de onomatopoeia pag. 28.

196,1. τριπιθήκινος.

245.—247. Quae epigrammata omnia tantam verborum copiam exhibent, ut facile poetae consilium animadvertatur.

Ceterum huius ordinis tam multa exstant exempla, ut omnia adferre supersedeam.

3) Ut hyperbolice loquatur, Lucilius ex mythologia comparationes et exempla adfert.

88. τὴν μικρὴν παίζουσαν Ἐρώτιον ἥρπασε κώνωψ,
ἡ δὲ· τί, φησί, πάθω; Ζεῦ πάτερ, ἦ μ' ἐθέλεις;

Lepidissima omnia in minuscula exaggerans hyperbola!

104. ubi Menestratus formicam equitans et delapsus se ipsum cum Phaetonte comparat.

107,3. κεῖται δ'ἢ Τιτυῷ ἐναλίγκιος.

115. Menophanes medicus cum Eurystheo, qui Herculem misit ad inferos, confertur.

131. Deucalionis aquam Phaetontisque ignem non tot homines occidisse quam Hermogenis et Potamonis carmina; dies me deficiat omnia enumerare.

4) Ultimum denique est, quod Lucilius res prorsus invertit; quae omnino fieri nequeunt, fiunt. Vide, sis: 89.—95. 99.—101. 105. 106. 111.—114. 165. 257. 308. 391. 405.

Saepe haec hyperbola cum antecedente coniuncta est: 88. 103. 103. 104. 107. 116. 131. 143. 186. 392. 404.

Comparationum (*ὁμοιώσεων*) exempla multa reperiuntur; sed alia non sunt, nisi quae etiam apud ceteros poetas legas. Parabolam apud Lucilium non vidi, imagines has tantum: 136. et 397.; pleraeque comparationes sola exempla sunt, sive particula *ὡς* sine relativo pronomine (207,1. *ὅσα πέντε λύκοι*) sive aliis comparationum modis incohata (239,1. *Χίμαιρα — ἡ καθ' Ὅμηρον.* 253,4: *Νιόβης ἔμπνοον ἀρχέτυπον.*)

Bene Lucilius verbis interdum lusit; inveni exempla haec satis faceta:

69,2: *γίνεται ἐξαπίνης οὐ νέα, ἀλλὰ Ῥέα.*

153,1: Iocus inter *Κυνικός* et *κύων,* item 154,4 *πρωτοκύων,* tritissimus est.

174,6: de furibus: *οὐκέτι σοὶ χειρῶν εἰς ἔριν ἐρχόμεθα.*

197. *Ἤθελε ΔΡΙΜΥΣ ἄγαν τὸ πρόσθ' Ἱερώνυμος εἶναι,*
νῦν δὲ τὸ ΔΡΙ μὲν ἔχει, ΛΟΣ δὲ τὸ ΜΥΣ γέγονεν,

quod epigramma conferri potest cum 182. (Dionysii), 222. (*ἀδέσποτον*), 260. (*ἄδηλον*), 337. et 338. (*ἀδέσποτα*).

214. poeta adludit ad duas vocabuli *ἄξιος* notiones.

314,3. luculentissime hoc epigrammate comprobatur *ει* Romae pronuntiatum esse ut *ι* litterula:

πείνης γὰρ μεγάλης μεγάλους πίνακας παρέθηκας.

3115,1. 2. iocosissime inter se opponuntur:

εἴσιδεν Ἀντίοχος τὴν Λυσιμάχου ποτὲ τύλην, | κοὐκέτι τὴν τίλην εἴσιδε Λυσίμαχος.

408,4. *ὥστε προσωπεῖον, κοὐχὶ πρόσωπον ἔχειν.* In nominibus belle lusit Lucilius: 210, 5. et 6. de ignavo homine:

Οὐδένι δ' οὐ Πολέμωνι προσέρχεται, οὐ Στρατοκλείδῃ,
ἀλλὰ φίλῳ χρῆται πάντοτε Λυσιμάχῳ.

Dorica dialecto usus est Lucilius 174,1, quo versu Antipatrum Sidonium decantat, qui dorica scripsit dialecto[1]), tum 176. 177,1 et 178.

---

[1]) Setti, Gli epigr. degli Antipatri. 1890. pag. 78. sqq.

Videtur hisce epigrammatis Lucilius cum solemnitate quadam loqui, iterum scilicet hyperbolice.

Restat, ut unum, quod mea quidem sententia mali poetae est quodque supra pag. 16. iam adumbravimus, exemplis confirmemus: saepe Lucilium totas versuum partes iterum atque iterum repetere, quanquam consilium non intelligatur, cur verba repetierit. Conferas quaeso haec exempla:

90,2: *αὐτὸν ἀπηγχόνισεν* iterum legitur 91,2. 111,2. 249,2. 264,2. Similiter: *οἴομ' ἀπαγχονίσαι* 196,2; eandem verborum partitionem habes: *αὐτὸν ὑπεκχαλάσαι* 200,2 et *αὐτὸς ἀπεσκάρισεν* 114,6.

104,2. *ὕπτιος ἐξετάθη*, repetitur 107,2. Similis pentametri conclusio: *ὕπτιος ἐκτέταται* 210,4; *ὕπτιος ἐκρέματο* 106,4. *εἶπε καὶ ἐξετάθη* 171,6.

92,6. *Γάϊος ἐκφέρεται*, conferas *σήμερον ἐκφέρεται* 113,2. *ἄπνοος ἐκφέρομαι* 81,2.

138,2. *τὸ στόμα μου δέδεται*, idem 148,4.

205,2. *ἦρε δὲ πάντ' ὀπίσω* et *πάντα δίδως ὀπίσω* 207,2.

163,6. *καὶ σὲ παρατροχάσῃ*, conf. cum 277,2: *μὴ πάλι μου τροχάσῃ*.

215,2. *οὐδὲν ὅμοιον ἔχει*, inspicias 233,2: *καὶ τίς ὁμοιότερον;* adde duo *ἄδηλα*: 149,2 et 151,2: *οὐδὲν ὁμοιότερον*. Nonne Lucilii esse videntur?

245,2. *Ὠκεανὸς φέρεται*, nonne adsonat ad *Ὠκεανοῦ ξυλίνῃ* 247,4?

τὸ στάδιον in pentametri fine habes 79,4. 84,2. 85,2. et 6.

246, 1. 2. et 253, 1. 2. iam supra pag. 30. comparavimus.

402,2: *ἢ σὺ κατασπαταλᾷς* et versu 6. eiusdem carminis: *τῆς παρὰ σοὶ σπατάλης* (fortasse consulto?).

161,1: *Πρὸς τὸν μάντιν Ὄλυμπον Ὀνήσιμος ἦλθεν ὁ πύκτης* et 163,1: *Πρὸς τὸν μάντιν Ὄλυμπον Ὀνήσιμος ἦλθ' ὁ παλαιστής*.

Initio hexametri bis scripsit: *καὶ τί γάρ*; (85,5. et 91,3.)

Quas repetitiones alii quoque poetae admittebant, conferas Nicarchi exempli gratia: 124,6. et 125,6: τοὺς θεραπευομένους.[1])

Quoniam quae de Lucilio exploravimus, absoluta sunt, ad reliquos poetas transgredi liceat.

Ac primum quidem de Nicarcho iudicium feramus.

[1]) Sero cognovi, et a Conrado Cichorius, praeceptore clarissimo, quidem benevolentissime edoctus, Useuerum in Annalibus Academiae Regiae Bavaricae 1892. s. t. „Ein altes Lehrgebäude der Philologie", p. 644. sqq. de Lucilio egisse. Cum de Lucillo Tarrhaeo, notissimo illo Apollonii Rhodii commentatore et proverbiorum collectore, cuius collectionem in Zenobii παροιμίας fluxisse scimus, eiusque grammaticae artis ratione egisset, dicit: „Lukillos ist uns nahe gerückt durch seine Epigramme, deren über 120 in die Anthologia Palatina Aufnahme gefunden haben." Quanquam concedit epigrammata Lucillio cuidam adscribi, tamen codicum scribas semper fere Λουκίλλου formam exarasse teste Iacobsio (a. gr. III. pag. LXXIX. ad XI. 308.) adfirmat. Quod fefellit virum doctum testimonium, nam exaravit, ut docuimus, scriba B semper fere Λουκίλλου, corrector C contra Λουκιλλίου; Finsleri argumentationibus si fidem habemus, iure ac merito correctorem maioris fidei hominem fuisse credemus; itaque, quantum ad codicum memoriam adtinet, Λουκιλλίου forma tradita est. Accedit, quod bis Lucilius se ipsum Λουκίλλιος appellavit, VI. 164,3: Λουκίλλιος ὧδε κέκαρμαι, et XI. 196,3: Λουκίλλιε, καὶ μονοκοιτῶ. Extremum exemplum ne Usenerum quidem fugit, sed immutavit vir doctus verba tradita, quanquam per se optime ferri possunt, in: Λουκίλλ', αἰεὶ μονοκοιτῶ. Quae coniectura non modo non necessaria est, sed etiam falsa: nam cum Bito ad Lucilium dicat: εἰμὶ σώφρων καὶ μονοκοιτῶ, Lucilius optime eam interrumpere potest: αἰδεῖται γὰρ ἴσως, παρθένος εἰμί, λέγειν; sed si cum Usenero scribimus αἰεὶ μονοκοιτῶ, Lucilius dicere non posset παρθένος ἐστὶν ἴσως; nam si semper sola cubasset, virgo etiam esset; cum contra adfirmaret Bito solum hoc se nunc solam cubare, antea cum multis aliis cubare potuit, ita ut virgo iam non esset. Itaque verum poetae nomen Λουκίλλιος tenebimus.

Dicit praeterea U.: „Der Epigrammatiker giebt sich unzweideutig als Grammatiker zu erkennen (A. P. XI. 10), und diese Wahrnehmung

Iacobsio[1]) aliisque[2]) praeeuntibus Knaackius[3]) duos epigrammatographos, quibus Nicarcho nomen fuerit, statuit, alterum Leonidae Tarentini fere aequalem, cuius epigrammata Meleager in suam coronam recepisset, alterum Fla-

kann dadurch nicht verschoben werden, dass er sich über die Aristarcheischen „um den Sänger streitenden Schwätzer" vor Teller und Becher (XI. 140.) und ähnliches lustig macht; das fällt unter das Sprichwort: *καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ.*" Iam inspiciamus XI. 10:

Τὸν τοῦ δειπναρίου νόμον οἴδατε, σήμερον ὑμᾶς,
Αὖλε, καλῶ καινοῖς δόγμασι συμποσίου.
Οὐ μελοποιὸς ἐρεῖ κατακείμενος, οὔτε παρέξεις
οὔθ' ἕξεις αὐτὸς πράγματα γραμματικά.

Premenda est, mea quidem sententia, vox *αὐτὸς*, quae ad Aulum grammaticum respicit. Lucilium autem grammaticam non exercuisse, immo eam omnino odisse confirmatur epigrammate XI. 400., quod quanquam libris manuscriptis Luciano datur, tamen Lucilii esse supra demonstravimus, id quod Engelius quoque certissimis coarguit argumentis.

Neque quadrant, quae adtulit vir doctus, exempla epigrammatum, quae ad aequales et grammaticos respiciunt. XI. 106:

Ἀρθεὶς ἐξ αὔρης λεπτῆς ἐποτᾶτο δι' αἴθρης
Χαιρήμων ἀχύρου πολλὸν ἐλαφρότερος.
καὶ τάχ' ἂν ἐρροίζητο δι' αἰθέρος, εἰ μὴ ἀράχνῃ
τοὺς πόδας ἐμπλεχθεὶς ὕπτιος ἐκρέματο.
Αὐτοῦ δὴ νύκτας τε καὶ ἤματα πέντε κρεμασθεὶς
ἕκταῖος κατέβη νήματι τῆς ἀράχνης

est in Chaeremonem quendam pusillum et tenuem; U. refert ad Stoicum illum grammaticum cognominem. XI. 189. contendit in Zenonem, Tiberii in arte grammatica magistrum, invehi; sed legas quaeso epigramma:

Γραμματικὸν Ζηνωνὶς ἔχει πώγωνα Μένανδρον,
τὸν δ' υἱὸν τούτῳ φησὶ συνεστακέναι.
Τὰς νύκτας δ' αὐτῇ μελετῶν οὐ παύεται οὗτος
πτώσεις, συνδεσμούς, σχήματα, συζυγίας.

non loquitur Lucilius de Zenone grammatico, sed de Zenonide Menandro grammatico usa; mirum quantum erravit vir doctus. Concedit ipse U. Lucillum Tiberio imperatore floruisse; quod si verum esset, Lucilii epigrammata e Philippi florilegio fluxissent; mecum consenties hoc fieri non posse.

1) a. gr. XIII. 922. sq.
2) Weisshaeupl. l. l. 27.
3) ap. Susemihl. l. l. II. 551, 177d et append.

viorum imperatorum temporibus florentem, cuius lusus Diogenianus excerpsisset. Contra nuperrime Stadtmuellerus [1]) unum solum Nicarchum vixisse epigrammatographum obiter contendit simul pollicitus postea huius sententiae argumenta sese adlaturum esse. Tamen liceat mihi proferre ea, quae viri docti suspicionem confirmare videantur. Exceptis capitis undecimi epigrammatis in lemmatis Nicarchi nomine praeditis — quae omnia uni eidemque scriptori adnumeranda sunt, maxime propter Lucilianorum epigrammatum aemulationes — haec epigrammata Nicarcho tribuuntur:

V. 38.—40. *Νικάρχου.*

67. *Καπίτωνος* Palatinus. *Νικάρχου* Planudes, qui coniunxit hoc epigramma cum Palatinae V. 98., perperam nimirum.

VI. 31. *ἄδηλον [οἱ δὲ Νικάρχου]* Pal.; quae uncis inclusi, a manu recentiore scripta sunt; vide D'Orvillium ad Charit. p. 345.

285. *Νικαρ*$^{\chi}$ *δοκεῖ* Pal. *Νικαρ*$^{\chi}$ Planudes

VII. 159. *Νικαρ*$^{\chi}$. Pal. *ἀδέσποτον.* Planudes.

166. *Διοσκορίδου, οἱ δὲ Νικάρχου,* manu correctoris.

570. *ἀδέσποτον,* in recentioribus Planudeae editionibus *Νικάρχου.*

IX. 330. *Νικάρχου.*

IX. 576. *Νικάρχου.*

Iam vides V. 38.—40. et IX. 330. et 576. epigrammata sola in utraque Anthologia pro certo Nicarcho vindicari, et ex his quidem IX. 576. ut iunioris Nicarchi eo defenditur, quod antecedunt Lucilii (572.) et Ammiani (573. 574.?) poematia, fragmenta igitur sunt quattuor illa carmina Diogenianei florilegii. Tum V. 38.—40. bene comparari possunt cum XI. 7. epigrammate, quod certe

[1]) Berl. phil. Wochenschr. 1889, 1232. sq.

Nicarchi, non Nicandri est[1]); en, habes eundem Nicarchum amatoria et obscena adamantem. Conferas V. 40. de Philumena v. 9.: ἣν ἐν γαστρὶ λάβῃς[2]) .... cum XI. 18: οὐκ ἐν γαστρὶ λαβοῦσα, Φιλαίνιον, ...; tum V. 38,1: ἄν τε καὶ ἀκμῆς ἅπτητ' .... cum XI. 71: ἤκμασε Νικονόη, κἀγὼ λέγω, ἤκμασε δ' αὐτή ....; deinde argumentum V. 38. idem est atque XI. 71. et 73.; V. 40. carminis argumentum facile componitur cum XI. 18.; porro nominis Σίμυλος mentione imitabatur Nicarchus Lucilium[3]) (XI. 187.). Itaque epigrammata V. 38.—40. eidem Nicarcho, cuius nugae libro undecimo insertae sunt, iure ac merito tribuere possumus. Contra XI. 330. plane aliam poetae ingenii speciem prae se fert. Dialogus enim est inter Panem et peregrinantem, inprimis ipse Pan loquitur statuae loco; dialectus autem dorica est; quae omnia nusquam apud Nicarchum iuniorem inveniuntur. Itaque hoc epigramma iure ab illo poeta abiudicabimus. Iam videamus, cui tribuendum sit. Stadtmuellerus l. l. cogitavit de Nicia medico, Theocriti amico Milesio, cuius in Anthologia Palatina haec inveniuntur epigrammata:

VI. 122. dialogus inter Maenadem et peregrinantem, dialecto dorica, inter Meleagreos poetas.

VI. 127. anathema Dianae dedicatum ab Epixeno quodam, iterum dialecto dorica, inter Meleagreos poetas.

VI. 270. Ilithyiae votum ab Amphareta puerpera, dialecto dorica, inter Meleagreos.

VII. 200. lepidum epitymbium εἰς τέττιγα ὑπὸ παιδὸς ἀναιρεθέντα, iterum inter Meleagreos poetas et dialecto dorica conscriptum.

IX. 315. epigrammati, de quo agitur, simillimum, dialecto dorica, inter Meleagri coronae fragmenta. Conferas:

---

[1]) Schneider: Nicandrea p. 37.

[2]) D'Orville ad Charitonem p. 326.

[3]) cf. supra pag. 18.

ἵζευ ὑπ' αἰγείροισιν, ἐπεὶ κάμες, ἐνθάδ', ὁδῖτα,
καὶ πῖθ' ἆσσον ἰὼν πίδακος ἁμετέρας.
μνᾶσαι δὲ κράναν καὶ ἀπόπροθι, ᾇ ἐπὶ Γίλλῳ
Σῖμος ἀποφθιμένῳ παιδὶ παριδρύεται.

cum 330: *Κράνας εὐύδρου .... ἔστασέν με Σίμων, ... ὅσον ποθέεις ἀπὸ κράνας / καὶ πίε καὶ κοιλὰν κάλπιν ἑλὼν ἀρύσαι.* — Itaque iure Stadtmuellerum coniecisse persuasum habeo. neque inauditam esse mutationem *ΝΙΚΑΡΧΟΥ* in *ΝΙΚΙΟΥ* eo evincitur, quod contrariae commutationis exemplum habemus XI. 398., ubi legimus in lemmate *Νικίου*; rectissime autem Planudes sive tradidit sive restituit *Νικάρχου*. — Ex eis Niciae epigrammatis, quae solus servavit Planudes (XVI. 188. 189.), nihil lucramur[1]).

Cetera epigrammata, quae Nicarcho aut Palatino aut Marciano codicibus dantur, admodum dubiae sunt originis. Omnia enim, quae una Anthologia ut *ἀδέσποτα* fert quaeque in altera *Νικάρχου* feruntur, poetae nomen certe ex coniectura librarii aut lemmatistae acceperunt. Itaque ex his novum fingere Nicarchum, qui Meleagri coronae adnumeretur, mihi quidem veritati respondere non videtur. Inprimis in carmine VII. 159., quod in Planudea *ἀδέσποτον* lemmate signatur, certe auctoris nomen in medio relinquendum est; epitymbium enim et encomium est in Telephanem auletam, qui fortasse idem est atque celeberrimus ille Telephanes, cui Demosthenes, quod chorum optime docuerat, gratias egit quam maximas[2]). Porro etiamsi Nicarchi nomen recto staret talo, tamen alterum poetam fingere minime opus esset; namque locum habet epigramma post Philippicum poetam (Isidorum Aegeatem 156.) et sat magnum numerum *ἀδήλων* (151.—155. — 153. *Ὁμήρου, οἱ δὲ Κλεοβούλου τοῦ Λινδίου*?! — 157. 158.). Neque vero aliter res se habet in ceteris illis poematiis dubiis,

---

[1]) propter ionicam dialectum pro spuriis habeam.

[2]) Demosth. XXI. 17. (Athen. VIII. 351 E. Plut. de mus. 21, 1138 A. Harpocrat. s. v. Guhrauer. JJ. Suppl. VIII. 342. Reisch: de musicis Graec. certam. p. 55. adn. 2.)

excepto solo VII. 570., quod certe post annum 358. p. Chr. compositum est[1]). V. 67. denique Capitonis est; mirum enim esset admodum, si nomen huius poetae, qui solo hoc loco commemoratur neque aliis quidem locis usquam invenitur, ex coniectura in lemma irrepsisset. Fuit autem ille Capito fortasse Cossutianus Capito, de quo Quintilianus (VI. 1,14) dicit: 'egregie nobis adolescentibus dixisse accusator Cossutiani Capitonis videbatur, Graece quidem, sed hunc in sensum: Erubescis Caesarem timere.' — Cum accusator Capitonis Graece loqueretur, nonne ipse quoque Capito graecam linguam exercuit?[2]) Kusterus[3]) cogitavit de Capitone Lycio, Iustiniani *συγχρόνῳ*, Iacobsius (anth. gr. XIII. 870.) de Capitone Alexandrino, qui apud Athenaeum (X. 425 C) *ὁ ἐποποιὸς* appellatur (*'Αλεξανδρεὺς δὲ γένος, ἐν δευτέρῳ 'Ερωτικῶν*). Maiore iure de Romano homine mea quidem sententia cogitandum est.

Itaque ut de Nicarcho iudicium feramus: pro certo non comprobatur nisi unum fuisse Nicarchum epigrammatographum, cuius poematia in Anthologia Palatina servata Diogeniani anthologio adnumerabantur.

Nicarchi vitae in epigrammatis pauca sunt vestigia; epigrammate XI. 124. perstringit poeta medicum quendam, Zopyrum, Aegyptium fortasse (v. 4.). Zopyro autem, aequali suo, Plutarchus in Symposiacis[4]) partes tribuit. Porro Celsus[5]) commemorat medicamentum, quod Zopyrus medicus Ptolemaeo regi paraverit. Etiam Bubastis[6]) commemoratio, cuius sacra istis temporibus maxime floruisse constat, huic aetati convenit; denique Romae Nicarchum scripsisse usu vocis *μιλιάριον* (ep. XI. 244.) evincitur. Epigrammata eius

---

[1]) cf. cod. Theodos. p. 56. Liban. ep. 24,11.
[2]) cf. Iuven. VIII. 92. Tacit. Ann. 11,6. 13,33. 14,28. 16,21.
[3]) ad Suid. I. p. 147.
[4]) l. l. II. 653 C.
[5]) Celsus V. 23. Galeni: *ἀντίδοτον Ζωπυρίου.*
[6]) Gratius. cyn. 42. Ov. Met. VIII. 691. Orelli, inscr. 5974.

plurima scoptica sunt et hyperbolica, insigni interdum obscenitate tincta[1]).

Pauca de nonnullis epigrammatis addenda esse puto. Stadtmuellerus[2]) (Settio praeeunte) haec epigrammata suo iure Nicarcho tribuit: XI. 223., quod lemma habet *Μελεάγρου* et quod a Sternbachio (app. Barb.-Vatic. pag. 3.) Antipatro datur. Mirum est, quod hoc loco Meleagri videmus obscenitatem, cum tota pars Diogenianea sit; qui Nicarchum noverit, minime de genuino auctore dubitabit. Deinde Nicarchea sunt: XI. 219. *Ἀντιπάτρου.* 221. *Ἀμμιανοῦ,* in Planudea *ἄδηλον.* 415. *Ἀντιπάτρου ἢ Νικάρχου,* in Planudea *ἀδέσποτον*; iam Iacobsius Nicarcho dedit propter similia argumenta in 241. et 242. Tum Stadtmuellerus observavit miram hexametri incisionem:

τίς σοι, Μεντορίδη, / προφανῶς / οὕτως / μετέθηκεν . . .

et 242,1:

οὐ δύναμαι γνῶναι, / πότερον / χαίνει / Διόδωρος . . .

XI. 118. et 119. in Palatina *καλλικτῆρ* (B) feruntur, in Planudea *Νικάρχου.* Utrique convenit, nam Cillactorem quoque satis fuisse obscenum arguitur epigrammate V. 29., ita ut iudicium de genuino auctore ferre non audeam.

XI. 169. et 170. in Planudea perperam Nicandro tribuuntur.

XI. 224. isdem argumentis, quibus Stadtmuellerus 219. et 415. Antipatro abiudicavit, ego quoque abiudicem Thessalonicensi et Nicarcho tribuam.

241. in Planudea *ἄδηλον,* defenditur ut Nicarchi sequente et 415. epigrammatis.

244. sola Planudea Nicarcho adsignatur, iure sane.

331. in Planudea perperam Antipatro Thessalonicensi tribuitur: en habes eandem corruptelam, quam supra in utraque anthologia agnovimus.

Ammianum Lucilii Nicarchique aequalem, non quarti

---

[1]) Iacobs. XIII. 929.

[2]) Berl. phil. Wochenschr. 1892, 825.

saeculi[1]) esse eo efficitur, quod Antonium Polemonem sophistam versibus perstrinxit, cuius vitam apud Philostratum uberrime enarratam invenimus. Vixit igitur Ammianus Traiano Hadrianoque imperatoribus.

XI. 149. 151. 268. in Palatina *ἄδηλα* sunt, in Planudea *'Αμμιανοῦ*, fortasse iure.

Epigrammata XI. 427. sqq. a Stadtmuellero merito Ammiano data esse iam supra pag. 8. commemoravi.

Cn. Cornelius Lentulus Gaetulicus, qui interfectus est a Caligula anno p. Chr. n. 39., idem putandus est atque Anthologiae poeta Gaetulicus[2]). Sed quaestio exoritur, utrum Philippi an Diogeniani florilegiis eiusdem carmina adnumerata sint, quippe cum Philippus Thessalonicensis Caligulae auspiciis *στέφανον* composuerit[3]). Exstant haec Gaetulici epigrammata: V. 17. VI. 154. 190. 331. VII. 71. 244. 245. 275. 354. XI. 409. Ultimum carmen locum habet in elementaria serie Diogenianea; reliqua omnia in eis anthologiae partibus servantur, in quibus Cephalas summa cum licentia fontes suos excerpsit. V. 17. sequitur epigrammata Rufini (14. 15.) et Marci Argentarii (16.). VI. 154. lemma inscribitur: *Λεωνίδου Ταραντίνου, οἱ δὲ Γαιτουλικοῦ*; soli Leonidae iure tribuit Planudes; anathema enim est celeberrimum in Panem, quod postea innumerabiles fere poetae imitati sunt. Quomodo *Γαιτουλικοῦ* nomen in lemma irrepserit, equidem, quo explicem, non habeo. Fortasse corruptela latet in Gaetulici nomine aut lemmatistae in mentem venit epigrammatis VI. 190. Gaetulici, ubi legimus:

Λάζεο, τιμήεσσα Κυθηριάς, ὑμνοπόλοιο,
λιτὰ τάδ' ἐκ λιτοῦ δῶρα Λεωνίδεω.

Sequitur hoc poema Meleagrea epigrammata, 191. autem Cornelii Longini[4]) est, qui fortasse idem est atque

[1]) Fabricii est sententia.
[2]) cf. supra pag. 4.
[3]) cf. Hillscher. pag. 405.
[4]) an Cassii Longini, celeberrimi iuridici fratris?

is, quem commemorat Iosephus[1]). Vixit igitur fortasse Vespasiana aetate et ipse quoque Diogeniani anthologio adnumerandus est. VI. 331. sequitur ἰσόψηφα Leonidae Alexandrini, 332. Hadriani imperatoris est; iterum ergo habes fragmentum Diogeniani. VII. 71. positum est in parte plane miscellanea, item 244. et 245 ; antecedit autem Lollii Bassi[2]) epigramma, quod haud scio an e Philippi corona originem ducat; 275. et 354. in ordinibus Meleagreis habent locum, ita ut fortasse quispiam putaverit Gaetulicum huic coronae iam adscriptum fuisse. Quae sententia eo cadit, quod neque in Meleagri prooemio invenitur neque omnino Romanorum poetarum epigrammata Meleager recepit. Itaque cum certum argumentum habeamus in epigrammate XI. 409. neque obstent carmina reliqua, Gaetulicum a Diogeniano excerptum esse persuasum habeo.

Philonis epigramma XI. 416. e Diogeniani corona sumptum est; si re vera auctor est Herennius Philo, Byblius ille grammaticus, hac quoque causa defenditur Rohdii[3]) sententia, qui eum vixisse putat inde ab anno 52. p. Chr. n. usque ad Hadriani tempora eiusque ἀκμὴν statuendam esse Domitiano imperatore. Epigramma, de quo agimus, magis παροιμιῶδες quam σκωπτικόν est.

Unum quoque Helladii epigramma XI. 423. fragmentum Diogenianei florilegii est; itaque Iacobsii[4]) sententia cadit Helladium poetam et ἀρχιερέα eundem esse, qui vixerit quinto post Christum saeculo[5]). Equidem, cum Helladii nomen ante haec tempora nusquam inveniatur, illa autem aetate in deliciis fuerit, ut feminina forma Ἑλλαδίη[6]) docemur, valde dubito, num recte traditum sit

[1]) Ioseph. B. I. VI. 3, 2.
[2]) cf. infra pag. 49.
[3]) l. l. pag. 175.
[4]) catal. epigr. XIII. 901.
[5]) C. I. G. 1051. 8835. 8838. 9137.
[6]) cf. Leont. Schol. Plan. (XVI.) 284. 286. 287.

ΕΛΛΑΔΙΟΥ; forsitan legendum est Ἀμμιανοῦ[1]) quod in formam *ΑΜΜΙΟΥ* antea corruptum erat.

De reliquis poetis, quorum epigrammata seriebus illis elementariis adnumerabantur, pauca referre licet.

De Callictere Mantisio certi nihil potest adferri nisi eum huic aetati adsignandum esse. Rectiorem nominis formam esse puto *Κιλλάκτωρ,* quippe cum V. 29. lemma a librario A exaratum siglum exhibeat: κιλλακτρ/; cui simillima est scriptura codicum M (Barberini gr. I. 123.) et V (Vaticani gr. 240.) κιλλατρ/; de quo lemmate vide sis Sternbachii append. B.-V. pag. 14. sqq. Solus scriba B, qui vehementissime in lemmata peccavit, ut saepe vidimus, lemma habet: καλλικτῆρ (XI. 5. 119.), Planudes XI. 333. idem. Arbitror hac in re opus esse auctoritate scribae A freti Cillactorem nominis pristinam formam accipiamus. V. 31. in Barberino-Vaticanis libris falso Cillactori tribuitur; Sternbachius Antipatrum Thessalonicensem genuinum auctorem esse coarguit.

De Mantisii cognomine desperavit Iacobsius (a. gr. XIII. 869.); equidem cogitavi de latina voce male conversa: Auguris vel Haruspicis, quae cognomina haud raro apud Romanos inveniuntur; recordare exempli gratia Q. Mucii Scaevolae Auguris (Cic. Lael. cap. I. 1.).

Traiani imperatoris epigramma XI. 418. pro genuino habendum est. IX. 388. 389. epigrammata neque in codicibus lemma *Τραιανοῦ* habent, neque quemquam fabellam illam alicuius momenti arbitraturum esse spero. Imperatorem autem a litteris haud alienum fuisse multis testimoniis comprobatur. Conferas latina eius epigrammata[2]).

Quis fuerit ille Antiochus (XI. 412. 422.), frusta quaesivi. Fabricius[3]) suspicabatur esse Antiochum Aegeum Sophistam, cuius vitam Philostratus (vit. Soph. II. 4.)

---

[1]) cf. XI. 433.
[2]) anth. lat. (Riese) 382. 393.
[3]) Bibl. gr. I. p. 506.

enarravit, tamen eum facultate poetica floruisse non constat. Mihi in mentem venit Antiochi histrionis illius sive comoedi istis temporibus satis famosi, cuius meminit Iuvenalis III. 98.

Apollinarii (XI. 399. 421.) aut Apollinares Flaviae aetatis plures noti sunt. Suetonius (Vesp. 19.) tradidit Apollinarium (libri perverse: apellari) tragoedum a Vespasiano aureis coronis donatum esse. Alius est Domitius Apollinaris, consul suffectus anni 97., legatus Lyciae, qui saepe apud Martialem et Plinium epistolographum commemoratur. Erravit certe Iacobsius (XIII. 853.), cum poetam nostrum Libanii[1]) amicum fuisse putaret. Prius epigramma in Glyconem rhetorem invehitur; haud scio an istius Glyconis, cui Spyridion[2]) cognomen erat, meminerit Seneca in controversiis et suasoriis saepissime.

De Pisone denique ne coniecturas quidem proferre licet.

Iam quoniam eos poetas, quos certe Diogenianus excerpsit, perlustravimus, ad eos venimus, quos etiamsi forte eorum poemata iam non intra ordines alphabeticos servata sunt, tamen Diogeniani anthologio adnumeratos fuisse verisimile est, cum propterea quod nonnullos istis temporibus vixisse constat, tum quod tota epigrammatum indoles speciesque alia aetate nisi hac non colebatur.

Exordium capiamus ab Hadriano imperatore. Quem facultate poetica praeditum fuisse testantur et scriptorum, praecipue Spartiani, testimonia et ipsius imperatoris latina carmina, quae adhuc in anthologia latina supersunt.[3])

---

[1]) Liban. ep. 86, 5.

[2]) cf. Westermann. hist. eloqu. § 86, 26.

[3]) Conferas Spartiani verba: (Vit. Hadr. 16.): Famae celebris Hadrianus tam cupidus fuit, ut libros vitae suae scriptos a se libertis suis litteratis dederit, iubens, ut eos suis nominibus publicarent; nam

Itaque cum certa habeamus testimonia, quibus confirmetur Hadrianum Graeca quoque epigrammata conscripsisse, ea quae exstant in anthologiis Graecis pro genuinis accipere non vetamur.

Polliani in Anthologia Palatina quattuor (XI. 127. 128. 130. 167.), unum in Planudea (Duebn. XVI. 150.), epigrammata servata sunt; ex his epigramma 128. in Florum poetam invehitur, qui fortasse idem est atque is, quem Hadriani familiarem fuisse constat. Se ipsum elegis quoque operam dare dicit epigrammate 130., quo se Parthenii et Callimachi sectatorem esse profitetur.

De Dionysio epigrammatis XI. 182. auctore vix certi quidquam adferri poterit. Suspicati sunt viri docti de variis omnium fere temporum Dionysiis;[1]) equidem nomen in medio relinquo, quia tot homines Graeci hoc

---

et Phlegontis libri Hadriani esse dicuntur. Catachannas libros obscurissimos Antimachum imitando scripsit. Floro poetae scribenti ad se:

> ego nolo Caesar esse,
> amblare per Britannos,
> . . . .
> Scythicas pati pruinas,

rescripsit:

> ego nolo Florus esse,
> amblare per tabernas,
> latitare per popinas,
> culices pati rotundos.

amavit praeterea genus vetustum dicendi . . . . . Et cap. 25: et moriens quidem hos versus fecisse dicitur:

> animula vagula blandula,
> hospes comesque corporis,
> quae nunc abibis in loca
> pallidula rigida nudula
> nec, ut soles, dabis iocos.

tales autem nec multo meliores fecit et Graecos. — Conferas Baehrentis poet. lat. min. 123.—126. et apud Dionem Cassium vides scriptum (69,10.): *ὁ Βορυσθένης ὁ ἵππος, ᾧ μάλιστα θηρῶν ἠρέσκετο, ... ἀποθανόντι γὰρ αὐτῷ καὶ τάφον κατεσκεύασε καὶ στήλην ἔστησε καὶ ἐπιγράμματα ἐπέγραψεν.* (Latinum exstat epigramma apud Riesium 903.)

[1]) inprimis de Dionysio Sophista. (Reiske, Iacobs.)

nomine appellabantur, ut unum horum versiculorum auctorem elicere iam nequeamus. Accedit, quod Planudes epigramma inter *ἀδέσποτα* fert.

Neque aliter de Callia Argivo (XI. 232.) sentio.

XI. 198. epigramma Theodoro cuidam tribuitur. Novimus Theodorum epigrammatographum ex Diogene Laertio (II. 8,19: *ποιητὴς ἐπιγραμμάτων*); fortasse ad hunc Suidae verba referenda sunt: *Θεόδωρος ποιητής, ὃς ἔγραψε*
γρ
διάφορα δι' ἐπῶν (nonne scribendum *δι' ἐπῶν*, i. e. *δι' ἐπιγραμμάτων?*) *καὶ εἰς Κλεοπάτραν δι' ἐπῶν*. Hic fortasse Theodorus Diogeniano notus fuit auctorque est epigrammatis.

Cerealii epigrammatis XI. 129. et 144. malis poetis, altero praecipue Homeri sectatoribus maledicitur. Inter Romanos poetas huius aetatis Iulium Cerialem, Valerii Martialis amicum (conf. Mart. X. 48,3.), novimus, quem carmen de Gigantis — nonne Gigantomachiam? — composuisse elicitur ex Martialis verbis XI. 52:

. . . . . tuos nobis relegas licet usque Gigantas,
rura vel aeterno proxima Vergilio.

Cecinit igitur etiam bucolica carmina.

Plinius minor in epistulis II. 19. et IV. 21. litteras dat Velio Ceriali amico; nonne verisimile est uno loco corruptelam latere priusque propter litterarum similitudinem iuli et ueli formas immutatas esse? Equidem Plinii et Martialis amicum eundem Cerialem esse persuasum habeo, cui gentilicium erat nomen Velio; nam apparet nomen rarius visum facilius in usitatius Iulii commutatum esse. Hic Velius Cerialis fortasse etiam Graecorum epigrammatum auctor est; nam de Cereale episcopo, quinti saeculi aequali, (conf. Gennad. vir. illustr. 96.) nemo cogitabit. — XI. 129. in Planudea perperam Luciano tribuitur.

Epigramma XI. 72. *Βάσσου Σμυρναίου* lemmate insignitum est Palatino codice, *Νικάρχου* Planudeo. Cetera Bassi, nempe Lollii Bassi, epigrammata Philippi coronae inserta erant, quod vides in epigrammatis V. 125. VII.

372. 386. 391. (in Germanici Caesaris mortem) IX. 236. 279. 289. X. 102. Mirum, quod hoc epigramma nomine *Σμυρναίου* ornatum est, ut facile concludas alium esse Bassum, praecipue cum inter Lucilii et Nicarchi poematia locum habeat epigramma [1]). Quod certis argumentis evinci nequit, et quis scit Lollium Bassum non Smyrnaeum fuisse? Equidem Philippeo poetae epigramma reddam neque inauditum est locum hic habere, cum usque ad epigramma 67. longam ex Thessalonicensis *στεφάνῳ* epigrammatum seriem excerptam videamus. In Palatini fonte haud scio an adscriptum fuerit huic ordini; librarius Palatini codicis oblitus erat exarare et, cum mendum animadvertisset, addidit, ubi primum calamus substiterat. — Planudea Nicarcho tribuitur propter similia Nicarcheis 71. et 73. epigrammatum argumenta. —

XI. 123. et 414. miro librorum consensu ut Hedyli[2]) feruntur, cuius esse minime possunt, cum Meleagreos poetas capite undecimo inter Diogenianeos non inveniamus. Viri docti, quanquam diu de medelis cogitaverunt, tamen nihil probabile invenerunt. Equidem aliam medelam non repperi nisi utroque loco commutationem: *ʽΗΔΥʹΛΟΥ* in *ΤΑʹΥΤΟΥ*, quod librarius B saepe sic exaravit. Optime enim convenit scribendi genus eis epigrammatis, quae utroque loco antecedunt.

Epigrammati IX. 103. nomen suprascriptum est *ΜΟΥΝΔΟΥ ΜΟΥΝΑΤΙΟΥ*. In quo praenomine vitium inesse existimavit Brunckius[3]), quia nemo Munatiorum hoc nomen adsciverit. Equidem *Μοίνδου* potius pro dittographia vocis *Μουνατίου* habeam. In Planudea idem epigramma Antonio Argivo, cuius epigramma in Vaticano codice praecedit, datur; hinc igitur Planudis error. — Munatius notus est Trallianus, Herodis Attici praeceptor. conf. Philostr. Vit. Soph. I. 25. et II 14.

---

[1]) cf. Leichium, praef. p. VI.

[2]) Susemihl. l. l. II. 533. adn. 74.

[3]) Lectiones pag. 188.

Iam restant tres poetae, de quibus haud ita facile iudicium ferre possumus.

De epigrammatis XI. 275. auctore cum quaestionem instituam, timeo, ne Camarinam, ut aiunt, moveam. Scripserunt de brevissimo eodemque celeberrimo illo epigrammate:

Καλλίμαχος τὸ κάθαρμα, τὸ παίγνιον, ὁ ξύλινος νοῦς,
Αἴτιος ὁ γράψας Αἴτια Καλλιμάχου[1])

onnes fere viri docti, qui Alexandrinorum poetas attigerunt, ita ut novissimos, apud quos antecedentes recensentur, in adnotatione[2]) laudavisse satis habeam.

Locum habet epigramma inter hanc seriem: 264.—266. Lucilii, 267.—273. *ἄδηλα* fortasse Diogenianea, sed etiam aliorum temporum (269.), 274. habes Lucilium, 275. Apollonium, 276. iterum Lucilium, 277. 278. 279. eundem; 280. sqq. Palladam; igitur positum est epigramma in ordine Diogenianeo aut ordine epigrammatum Diogeniano recentiorum. Iterum legitur, et in margine quidem, ad VII. 42., ubi comparationis causa ut *ἄδηλον* manu recentiore adpictum est; nam epigrammatis 41. et 42. summis laudibus Callimachus effertur. Etiam haec *ἀδέσποτα*, sed vetustiore aetate conscripta sunt, cum Leonidae Tarentini et Sidonii Antipatri in eis imitationes insint.

Iam de nominis forma quaeramus: *Ἀπολλωνίου γραμματικοῦ.* Primo obtutu omnes Apollonium Rhodium, Callimachi discipulum, postea inimicissimum, epigrammatis auctorem intelligebant, quanquam testimonia praesto non erant, quibus Apollonium Rhodium epigrammatis Ibim carmen ultum esse confirmabatur. Namque scholio illi ad Antonini Liberalis caput XXIII. adpicto, quo legimus: *ἱστορεῖ Νίκανδρος ἑτεροιουμένων α̅ καὶ Ἡσίοδος ἐν μεγάλαις Ἠοίαις καὶ Διδύμαρχος μεταμορφώσεων γ̅ καὶ Ἀντίγονος ἐν*

[1]) sic scribendum, non *Καλλίμαχος*; nam de libri titulo agitur.
[2]) Susemihl. l. l. I. 351, 18. Knaack. BphW. 1886. WfklPhil. 1885, 1000. JJ. 143, 771.

ταῖς ἀλλοιώσεσι καὶ Ἀπολλώνιος ὁ Ῥόδιος ἐν ἐπιγράμμασιν, ὥς φησι Πάμφιλος ἐν ά, etiamsi Pamphili auctoritate nitatur[1]), propterea fides omnino non habenda est, quod neque verborum tenor *ἱστορεῖ ἐν ἐπιγράμμασιν* talem interpretationem, qualem Heckerus et Knaackius protulerunt — scilicet adlusisse Apollonium Rhodium, cum Batti fabulam enarraret, ad *Βαττιάδην* Callimachum illumque composuisse cum vetusto altero pastore eodem cognomento notissimo — admittit, neque scimus utrum *ἐν ἐπιγράμμασιν* an potius *ἐν ἔπεσιν* Apollonius Battum commemoraverit; en, habes eandem confusionem, quam supra statuimus; pro *ἜΠΕΣΙΝ* legit scriba *ἘΠΙΣΙΝ* (γρ superscr.), itaque mirum illud *ἱστορεῖν ἐν ἐπιγράμμασιν* intelligitur.

Itaque: cum locum habeat epigramma non inter Meleagreos poetas — nam huius ex corona Apollonii Rhodii epigrammata delibata essent —, immo inter primi et secundi post Christum saeculi, cum altero loco in Anthologia Palatina *ἄδηλον* sit, cum in Planudea ut *ἀδέσποτον* feratur, cum Apollonius Rhodius nusquam cognomento *γραμματικός* significatus sit, cum denique scholio illi Antonini Liberalis fidem habendam non esse docuerimus, neque defenditur Apollonium Rhodium auctorem esse epigrammatis neque explicatur.

Quomodo igitur epici nomen irrepsit? Epigramma in archetypo lemma habuit: *Γραμματικοῦ,* nomine iam deperdito; recte igitur Planudes suprascripsit: *ἀδέσποτον.* Palatini fontis librarius meminit illarum inter Callimachum et Apollonium Rhodium inimicitiarum, ergo *Ἀπολλωνίου* nomen addidit. Unde librarius B horribile illud *Ἀπολλωνίου γραμματικοῦ* lemma peccavit.

Videmus igitur hoc quoque loco Planudem praestare Palatino codici. Epigramma igitur compositum est temporibus anthologii Diogenianei, neque abhorrere huius

---

[1]) cf. E. Oder: De Antonino Lib. 1886. p. 22 et 44.

aetatis poetas ab audacia et acerbitate discriminis inter magistros vidimus in Lucilii de Aristarcheis epigrammate.

Callimachus ne Martiali quidem adamatus erat, conferas X. 4, 12:

sed non vis, Mamurra, tuos cognoscere mores
nec te scire! legas Aetia Callimachi!

adde IV. 23. —

Leonidae Alexandrini, *ἰσοψήφων* auctoris, epigrammata priusquam denuo quaestioni submittam, confiteor recentissimum Settii libellum: Gli epigrammi dei Leonida 1893. nondum mihi praesto fuisse, quamvis operam dederim; itaque fieri potest, ut multa iam a viro docto Italo prolata sint.

Weigandius, quem Leonidae Alexandrini epigrammatum numeros *ἰσοψηφίας* computare pertaesum est, Leonidam alia poematia nisi *ἰσόψηφα* non scripsisse eiusque carmina ab ipso Cephala excerpta esse existimavit. Tum Haenelius (de cognominibus in Anthologia Graeca poetis, praecipue de Leonidis 1867.) traditis lemmatis nimis confisus utriusque Leonidae carmina segregare studuit, cui libentissime Finslerus adstipulatus est. Contra iterum Stadtmuellerus felicissimis coniecturis nonnulla epigrammata *Λεωνίδου Ταραντίνου* lemmatis insignita, cum *ἰσόψηφα* invenisset, Alexandrino reddidit. Quanquam me quoque valde pertaesum est numeros computare, tamen omnium epigrammatum ambiguorum numeros, eis scilicet exceptis, quae pro certo Tarentini genuina esse et locus inter Meleagreos poetas et tota carminum indoles testatur, computavi. Tarentinus enim ille Leonidas, mea quidem sententia, praeclarissimus omnium, quorum exstant fragmenta, epigrammatographorum poeta ingeniosissimusque est, quem facile, accuratius si perspexeris, a versificatore, sit venia verbo, Alexandrino discernes. Igitur computationibus confectis haec carmina inveni, quae ab Alexandrino Leonida oriunda esse constat:

VI. 321.—329. quae iam in anthologiis ut *Λεωνίδου Ἀλεξανδρέως ἰσόψηφα* tradita sunt. Servata sunt in ea

parte Palatinae Anthologiae, ut coronam, cui adnumerabantur, elicere iam nequeamus.

VII. 547.—550. *Λεωνίδου Ἀλεξανδρέως*; certe *ἰσόψηφα* sunt 547. (numerum habes 7247), 548. (7150), 549. (6828), numeri epigrammatis 550. non prorsus quadrant (9717: 9722), ita ut corruptelam adhuc latere suspicio nascatur.

VII. 668. *Λεωνίδου. ἰσόψηφον* est (numerus est 6576); nonne inter Philippeos (Antipatrum Thessalonicensem ... Bianorem)?

VII. 675. *Λεωνίδου*, post Hadriani epigramma, iterum *ἰσόψηφον* (3702).

IX. 12. *Λεωνίδου Ταραντίνου*; falso, nam, id quod omnes adhuc fugit, hoc quoque *ἰσόψηφον* est; habes numerum 7666 utroque disticho confectum.

IX. 78.—80. *Λεωνίδου Ταραντίνου*; recte vidit Stadtmuellerus *ἰσόψηφα* Alexandrini esse; posita sunt inter longum Philippi coronae fragmentum.

IX. 106. iterum *Λεωνίδου Ταραντίνου*, sed iterum Alexandrini (numerus est 5307); in ordine alphabetico Philippeorum epigrammatum, ita ut ipsum quoque Leonidae epigramma secundum elementa inseratur.

IX. 123. *ἀδέσποτον, οἱ δὲ Λεωνίδου Ἀλεξανδρέως*, cui certe vindicandum est; habes enim numerum 7523.

IX. 344.—356. *Λεωνίδου Ἀλεξανδρέως*; iterum longa *ἰσοψήφων* series, quae sequitur epigrammata Philippi coronae delibata.

XI. 9. *Λεωνίδου* inter Diogenianeos poetas, *ἰσόψηφον* (8164).

XI. 70. *Λεωνίδου*, iterum inter Diogenianeos, *ἰσόψηφον* (7246).

XII. 20. ante Stratonis epigramma: *Ἰουλίου Λεωνίδου*; numerum habes 6749.

Discimus ergo ex his epigrammatis Leonidae Alexandrini poematia et Philippi et Diogeniani florilegiis inserta fuisse; quae quanquam miramur, tamen aliter explicari

non possunt, cum alphabeticis quoque ordinibus inserta esse *ἰσόψηφα* videas.

Iam videamus, sintne alia quoque epigrammata propter hanc cum Philippi corona adfinitatem Alexandrino maiore iure quam Tarentino adnumeranda.

IX. 42. *Ἰουλίου λεωνίδου,* inter Philippeos poetas; *ἰσοψηφίαν* aliam non inveni nisi hanc: 8011 : 8051, itaque aliquid corruptum esse constat.

IX. 98. *Λεωνίδου Ταραντίνου*; insertum est longae Philippeorum epigrammatum seriei, ita ut Tarentini nominis mentio locum non habeat; ab Alexandrino non abhorret, etiamsi tria inveniamus disticha, quae, quantum vidi, *ἰσοψηφίᾳ* nullo modo inter se coniuncta sunt. Sed quis demonstravit Leonidam Alexandrinum alia nisi *ἰσόψηφα* non conscripsisse? Weigandius adfirmavit, sed si numeros computasset, non adfirmasset, puto. Credo igitur Alexandrinum Leonidam non sola *ἰσόψηφα* composuisse. Cuius meae sententiae egregium habeo argumentum carmine IX. 107. Antecedens epigramma 106. *ἰσόψηφον* esse vidimus; iam habemus *τοῦ αὐτοῦ*; causa non est, cur Leonidae abiudicemus. IX. 179. *ἰσόψηφον* esse verisimile est, sed numeri non omnino quadrant, 8449 : 8490, corruptum igitur est aliquid.

Itaque scripsit Leonidas *ἰσόψηφα,* et haec quidem *μονοδίστιχα,* ita ut hexametri litterarum numerus pentametri numeris responderet, aut duorum distichorum epigrammata, ita ut uniuscuiusque distichi numeri alterius litteris responderent; scripsit autem et trium epigrammata distichorum, ea tantum non *ἰσόψηφα.* Itaque paululum corrigenda sunt scholiastae verba codicis Palatini (p. 415.v): *ὅτι πάντα τὰ ἐπιγράμματα Λεωνίδου ἰσόψηφα · οἱ δύο στίχοι ἀποτελοῦσιν ἀριθμὸν καὶ οἱ δύο ὁμοίως.*

Iulius Leonidas Alexandrinus ipse dicit se ad Nilum natum esse: cf. IX. 355,2:

τοῦτ' ἀπὸ Νειλογενοῦς δέξο Λεωνίδεω

et IX. 358,4: *τοῦτο . . . . . .*

δῶρον ὁ Νειλαιεὺς πέμπει ἀοιδοπόλων.

Eum Romam se contulisse apparet ex epigrammate IX. 344:

Ἦν ὁπότε γραμμαῖσιν ἐμὴν φρένα μοῦνον ἔτερπον,
οὐδ' ὄναρ εὐγενέταις γνώριμος Ἰταλίδαις.
Ἀλλὰ τανῦν πάντεσσιν ἐράσμιος· ὀψὲ γὰρ ἔγνων,
ὅπποσον Οὐρανίην Καλλιόπη προφέρει,

ubi se olim grammaticam professum Romanisque ignotum fuisse enarrat, nunc autem se omnium amore florere. Quo tempore vixerit, apparet satis ex epigrammate IX. 355., quo Poppaeae Sabinae Augustae diem natalem concelebrat, quam cum Nero anno p. Chr. n. 61. in matrimonium duxerit, intra hunc annum et 64., quo interfecta est, epigramma illud necessario est conscriptum. Epigrammate VI. 329. Agrippinae munera natalicia versiculos offert, quam Agrippinam Neronis matrem esse verisimile est. Etiam Iulii gentilicium nomen eius cum Claudia familia commercium ostentat. Vixisse videtur usque ad Vespasiani vel Titi imperatorum tempora; namque epigrammate IX. 349. imperatori ad aquas Cutilias natalicia celebranti gratulatur. Quibus thermis Vespasianus usus est a. 78. ibique mortuus est, quod etiam Tito accidit[1]).

Philippeae igitur coronae adnumeranda sunt epigrammata eius, antequam Romam venisset, conscripta, Diogenianeae, quae Romae composuit. Cadit igitur Weigandii sententia, ipsum Cephalam Leonidae *ἰσόψηφα* excerpsisse.

Ultimus, de cuius epigrammatis scopticis iudicium ferre possumus, Strato est Sardianus. Capite undecimo haec eius epigrammata continentur:

XI. 19. 21. 22., antecedunt Nicarchi epigrammata. sequuntur Philippea, itaque haud mirum est, iam hoc loco, epigrammate 20., ut supra (pag. 49.) vidimus, Philippeum, nempe Antipatrum Thessalonicensem, videri.

---

[1]) Meineke, prolusio de utriusque Leonid. epigr. 1791.

XI. 117. in Capitonem medicum, quem Hadriani temporibus floruisse constat[1]), invehitur. Antecedunt Lucilii epigrammata, sequuntur Cillactoris.

XI. 225.; antecedit Nicarchi, sequitur Ammiani epigramma. Itaque scoptica eius epigrammata a Diogeniano excerpta sunt.

Nonne *μοῦσα παιδική* quoque? De cuius compositione, scilicet de libri duodecimi fontibus, adhuc certi fere nihil prolatum est; neque adquiesco in eis, quae nuperrime Carolus Radinger, amicus Vindobonensis, in *Erano Vindobonensi* protulit pag. 304. sqq. Qui contra Rudolfum Weisshaeupl, qui quinque coronas hoc uno libro collectas esse putat: Meleagri *μοῦσαν παιδικήν*, Meleagri *στέφανον*, Philippi *στέφανον*, Stratonis *μοῦσαν παιδικήν*, Stratonis collectionem quandam aliorum poetarum epigrammatum, tres tantum admisit coronas: Meleagri *στέφανον*, Philippi *στέφανον*, Stratonis *μοῦσαν παιδικήν*, qua aliorum quoque praeter Stratonem epigrammata coniuncta essent. Qua in re libentissime adstipulor Radingero, nam videmus coniunctos libro duodecimo 20. 21. 22. Iulium Leonidam, Stratonem, Scythinum; 174. 175. Frontonem, Stratonem; 231. 232. 233. 234. Stratonem, Scythinum, Frontonem, Stratonem. Excerpsit igitur Strato aut alius quidam, quem postea videbimus, Stratonem, Scythinum, Frontonem, Leonidam.

Quis igitur excerpsit? Vidimus antea Stratonis et Leonidae epigrammata a Diogeniano excerpta esse. Frontonem eundem esse iure putant viri docti, qui cum Hadriano epistularum commercium habuit Antoninique Pii fuit magister cuiusque poematia latina nota sunt; itaque hic quoque Stratonis aetati adnumerandus est. De Scythino nihil scimus. Quadrant igitur tempora horum poetarum cum Diogenianei anthologii aetate. Tum certum est Stratonem alia nisi sua ipsius epigrammata non edidisse; conf. XII.

[1]) Iacobs. proll. IV.

1. 2. et 258., quibus solis de suis epigrammatis loquitur; si re vera etiam aliorum epigrammata recepisset, eum hac de re aliquid commemorasse verisimile est. Igitur aliorum illorum poemata ab alio quodam, et quidem a Diogeniano excerpta sunt; iam puto etiam Stratonis Musam puerilem non a Cephala, sed iam a Diogeniano excerptam esse. Talis enim, qualem nunc tenemus, ordo perversus, si Cephalas nullo alio intercedente fonte Stratonem excerpsisset, non exstaret.

Iam paucis alteram quaestionem, quam initio disputationis protulimus, absolvere licet: quae epigrammata Diogenianus excerpserit. Vides omnis generis eum carmina collegisse, plurima autem scoptica, scilicet quae istis temporibus „in flore“ erant. Quo ordine disposuerit Diogenianus, elicere non possumus.

Caput alterum.

De minoribus quibusdam epigrammatum syllogis.

A.

De Agathiae Daphniacis.

Agathiam Myrinaeum Scholasticum praeter ea, quae ipse in Cyclum intulit epigrammata, alia quoque conscripsisse sat gravibus testimoniis confirmatur. Dicit enim ipse Agathias in Historiarum prooemio[1]: *ἐτύγχανον γὰρ μᾶλλον δή τι ἐκ παίδων τῷ ἡρώῳ ῥυθμῷ ἀνειμένος, καί με ἤρεσκεν τὰ ἡδύσματα τῶν τῆς ποιητικῆς κομψευμάτων· καὶ τοίνυν πεποίηταί μοι ἐν ἑξαμέτροις βραχέα ἄττα ποιήματα, ἃ δὴ Δαφνιακὰ ἐπωνόμασται, μύθοις τισὶ πεποικιλμένα ἐρωτικοῖς καὶ τῶν τοιούτων ἀνάπλεα γοητευμάτων.* Audi Suidam: *Ἀγαθίας: οὗτος συνέταξε καὶ ἕτερα βιβλία ἔμμετρα καὶ καταλογάδην, τά τε καλούμενα Δαφνιακὰ καὶ τὸν Κύκλον τῶν νέων ἐπιγραμμάτων, ὧν* (? Sternbachius, nonne *ὃν* scribendum?) *αὐτὸς συνῆξεν ἐκ τῶν κατὰ καιρὸν ποιητῶν.*

Videmus ergo Agathiam, ubi primum adoleverat, litteris vacasse et composuisse poematia quaedam versibus hexametris amatoria, quae Daphniacorum nomine ornata colligebat publicique faciebat iuris.

Novem fuisse libros testatur ipsum Agathiae epigramma (Anth. Pal. VI. 80.):

Δαφνιακῶν βίβλων Ἀγαθία ἡ ἐννεάς εἰμι,
ἀλλά μ' ὁ τεκτήνας ἄνθετο σοί, Παφίη.
οὐ γὰρ Πιερίδεσσι τόσον μέλω, ὅσσον Ἔρωτι,
ὄργια τοσσατίων ἀμφιέπουσα πόθων.
Αἰτεῖ δ' ἀντὶ πόνων, ἵνα οἱ διὰ σεῖο παρείη
ἤ τινα μὴ φιλέειν, ἢ ταχὺ πειθομένην.

---

[1]) Hist. gr. min. ed. Dind. II. 134.

Adparet hoc epigramma prooemii loco toti volumini praefixum fuisse; ideo etiam ferri potuit metrica forma, nempe distichum, cum cetera poematia hexametrica essent.

Sternbachius[1]) ex Agathiae verbis, quae paullo infra sequuntur, conclusit Cyclum ante Daphniaca emissum esse. Vide sis Agathiam l. l., ubi pergit: *ἔδοξε δέ μοι πρότερον κἀκεῖνο ἀξιέπαινόν τι εἶναι καὶ οὐκ ἄχαρι, εἴ γε τῶν ἐπιγραμμάτων τὰ ἀρτιγενῆ καὶ νεώτερα διαλανθάναντα ἔτι, καὶ χύδην οὑτωσὶ παρ' ἐνίοις ὑποψιθυριζόμενα, ἀγείραιμί τε ὡς οἷόν τε ἐς ταὐτὸν, καὶ ἀναγράψαιμι ἕκαστα ἐν κόσμῳ ἀποκεκριμένα.*

Scripsit haec verba Agathias post Iustiniani mortem amicorum precibus commotus, ut Iustinianeae aetatis conscriberet historiam.

Poetam natum esse anno circiter 536. p. Chr. n. recte statuit Teuffelius[2]); et cum spatium quoddam temporis intersit inter Iustiniani mortem et id tempus, quo Agathias Historiam componere coepit, — nam dicit naturae indolem ingenium ad poesim valde ducere; et re vera amici per longum tempus ab eo petiverunt, ut Historiam scriberet; nam certe, cum anno 582. obiisset, opus ad finem perduxisset – equidem Agathiam Historiam scribendam incohasse puto circum annum 576., id est, cum quadraginta fere annos natus esset. Itaque cum dicat *ἔδοξέ μοι πρότερον*, de iuventute sua loquitur; sed mea quidem sententia non, ut Sternbachius voluit: *πρότερον τῶν Δαφνιακῶν*, nam cum apertis verbis antea dixisset *ἐκ παίδων τῷ ἡρῴῳ ῥυθμῷ ἀνειμένος* eum ante hoc tempus, ut infantulum fere, versus fecisse verisimile non est. Quam sententiam comprobare videntur ipsa Agathiae verba, quae iam sequuntur: *καὶ οὖν δὴ καὶ τόδε μοι ἐκτετέλεσται ἑτερά τε πολλὰ ἀγωνίσματα, τοῦ μὲν ἀναγκαίου χάριν οὐ μάλα πεποιημένα, ἄλλως δὲ ἴσως προσαγωγὰ καὶ θελκτήρια· καὶ γὰρ δῆτα ἡ ποίησις ἱερόν τι χρῆμα καὶ θεσπέσιον* e. q. s.

[1]) app. B.-V. p. 78. sq.

[2]) Philol. I. 495. sqq.

Quo tempore Daphniaca composita sint, fortasse cognoscemus, si, quo tempore Cyclus compositus esse videatur, contigerit indagare.

Testimonia non adsunt: nam praeter ea, quae supra laudavimus, scholium tantum exstat in codice Palatino ad prius Agathiae prooemium cap. IV. adpictum: *Ἀγαθίου Σχολαστικοῦ Μυριναίου οὐ στέφανος, ἀλλὰ συναγωγὴ νέων ἐπιγραμμάτων. Ἤκμασεν δὲ οὗτος ὁ Ἀγαθίας ἐπὶ Ἰουστινιανοῦ τοῦ μεγάλου· ἔγραψεν δὲ καὶ Ἱστορίαν καὶ τὰ ἐπονομαζόμενα Δαφνιακά. Ἔγραψε δὲ ταῦτα τὰ ἐπιγράμματα πρὸς Θεόδωρον δεκουρίωνα.* Ex his nihil lucramur, sed fortasse ex ipso prooemio terminum, post quem Cyclus compositus est, elicere continget.

V. 47. sq., cum incipiat imperatorem laudibus efferre, haec dicit poeta:

Μή τις ὑπαυχενίοιο λιπὼν ζωστῆρα λεπάδνου
βάρβαρος ἐς βασιλῆα βιήμαχον ὄμμα τανύσσῃ.

En, vides prooemium scriptum esse toto orbe pacato omnibusque bellis feliciter confectis, id est, post annum 558., quo Persae tandem subacti in Iustiniani venerunt dicionem; conf. v. 49:

μηδ' ἔτι Περσὶς ἀνάλκη ἀναστείλουσα καλύπτρην
ὄρθιον ἀθρήσειεν . . . . e. q. s.

Neque multo post pacem restitutam Cyclum consutum esse inde fit verisimile, quod hymnus in Caesarem propter victrices eius bellorum expeditiones tum minus opportunus fuisset, si multi anni inter pacis et prooemii tempora intercessissent. Agathias ergo contexuit coronam viginti quinque circiter annos natus. Ante hanc aetatem igitur Daphniaca edidit viginti fortasse annos natus.

Daphniacorum fragmenta epigrammate illo, quod supra excussimus, excepto, mea quidem sententia, in Anthologia nulla inveniuntur; nam duo illa poematia hexametrica, quae Sternbachius[1]) Daphniacis addicenda putavit, sola coniec-

[1]) melet. gr. p. 29.; app. p. 37.

tura ad Agathiam relata sunt. V. 77. auctoris nomen habet Rufini, cuius certe non est, sed rectum auctorem Palladam iam Salmasius recognovit; accedit, quod in priore libri quinti parte, de qua infra accuratius agendum erit, Agathiana epigrammata prorsus desunt. Alterum poematium IX. 498. — duo tantum versiculi! — iterum *ἄδηλον* traditum est neque ullam perspexi causam, qua commoti Agathiae adiciamus. Unum certum Daphniacorum fragmentum VI. 80. Constantinum minime ex Daphniacis ipsis excerpsisse constat; nam cum Daphniaca non essent epigrammata Cephalasque non nisi epigrammaton syllogas excerpsisset praeterea cum unum tantum huius collectionis satis magnae in anthologiis exstet fragmentum, Cephalam Agathiae Daphniaca ne novisse quidem persuasum habeo. Deprompsit igitur prooemium Daphniacorum ex Agathiae Cyclo, — locum enim habet in longa Agathianorum epigrammatum serie: VI. 63.—84. — qui suo iure epigramma illud recipere potuit, cum et epigramma esset re vera et versibus elegiacis conscriptum: conf. prooem. Cycl. IV. 3, 106. sq.:

καὶ τόσον ἐξ ἐλέγοιο πολυσπερὲς ἄνθος ἀγείρας
στέμμα σοι εἰ μύθοιο καθήρμοσα Καλλιοπείης.

Occasione data quos poetas Cyclo coniunxerit Agathias, paucis quaeramus[1]).

Nam viri docti inter sese dissentiunt, usque ad quamnam aetatem pertinuerint illa *ἀρτιγενῆ καὶ νεώτερα τῶν ἐπιγραμμάτων*. Agathiae sententiam si ad verbum vertimus, hanc efficimus[2]): Porro illud quoque operae pretium esse mihi videbatur nec non ingratum, epigrammaton quae modo prodierunt quaeque recentiora adhuc latuerunt, et illa, quae a nonnullis quibusdam poetis sine ullo ordine (haec enim notio vocis *χύδην* est hoc loco; conf. Polyb. 15. 14,2: *χύδην ἐῤῥιμένα ὅπλα,* Alexis apud Athen. 15, 686 A: *στεφάνων*

---

[1]) Sternbach. mel. gr. 21. sq. Weigand. l. l. 560. sq.
[2]) l. l. conf. supra pag. 60.

χύδην πεπλεγμένων) privatim susurrabantur, colligere et singula certo ordine rescribere.

Iam Suidae illa recordare: *Κύκλον τῶν νέων ἐπιγραμμάτων, ὃν αὐτὸς συνῆξεν ἐκ τῶν κατὰ καιρὸν ποιητῶν.* Intelligebat C. B. Hasius[1]) *τοὺς κατὰ καιρὸν ποιητάς* poetas, qui singulis aetatibus sive temporibus floruerunt. Quam sententiam Bernhardius[2]) ne quis acciperet, suasit, alia tamen explicatione non addita. Sed cum vocem *καιρός* istis Byzantinorum temporibus saepissime vel semper fere, ubi legitur, pro verbo *χρόνος* usurpari locupletissime edocuerit Lobeckius,[3]) equidem non video, cur *κατὰ καιρὸν* non idem sit atque *κατὰ χρόνον*, quod explicandum est *κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον*. Collegit igitur Agathias aequalium fere poetarum epigrammata. Eodem modo explicatur suprascriptio prooemii capite quarto servati: *συλλογὴ τῶν νέων ἐπιγραμμάτων.* Tamen etiamsi aequalium tantum epigrammata excerpsisse Agathiam putemus, ipse Cycli auctor inter *τὰ ἀρτιγενῆ καὶ νεώτερα τῶν ἐπιγραμμάτων διαλανθάνοντα ἔτι* dividit, quae verba a viris doctis usque adhuc falsa ratione exposita sunt. Nam cum *τὰ ἀρτιγενῆ ἐπιγραμμάτων* aequalium poemata intellexissent, *τὰ νεώτερα διαλανθάνοντα ἔτι* aliter interpretari non potuerunt, nisi supponerent: *τὰ νεώτερα* vetustiora esse illis *ἀρτιγενέσιν*. Quod quanquam e verborum notione exemplis minime comprobatur, tamen omnes, quantum scio[4]), viri docti acceperunt. Contra propius ad veritatem nos accessuros esse puto, cum *ἀρτιγενῆ* vetustiora suspicemur *νεωτέρων*, quae sententia vel inde confirmatur, quod *νεώτερα* illa epigrammata *διαλανθάνοντα ἔτι* erant, ne singulis quidem voluminibus continebantur, quod suspicari licet de Damocharidis exempli gratia epigrammatis, quem Agathiae fuisse disci-

---

[1]) ad Leonem Diac. (Corp. Hist. Byz. ed. Bonn. XI. p. 490.).

[2]) Suid. I. 1. p. 34.

[3]) ad Soph. Ai. p. 85.

[4]) Sero vidi Reitzensteinium apud 'Pauly-Wissowa' (Realencyclop. I, 1. s. v. Agathias) rectum enucleasse.

pulum lemmatista testatur. Excerpsit igitur sexti tantum saeculi poetas uno solo excepto Cyro expraefecto, qui quinto saeculo exeunte florebat. Facile autem intelligitur, cur Agathias illum receperit; pater enim erat Pauli Silentiarii, cuius epigrammata plurima in Agathiae Cyclum transierunt. Itaque ne credas Palladae quoque epigrammata ab Agathia esse excerpta, quanquam interdum inter Agathianos reperiuntur; vixit enim quarto saeculo exeunte et quinto ineunte[1]) et accedit, quod certissimum singularis Palladae collectionis testimonium habemus scholio ad Anthol. Pal. VII. 339: *ἄδηλον ἐπὶ τίνι τοῦτο γέγραπται, πλὴν ὅτι ἐν τοῖς τοῦ Παλλαδᾶ ἐπιγράμμασιν εὑρέθη.* Videtur ipse Constantinus Cephalas illam adiecisse notulam.[2])

B.
De Rufini epigrammatis.

Priorem capitis quinti Anthologiae Palatinae partem (2.—103.)[3]) prorsus aliam praebere speciem atque reliquas Cephalanae collectionis partes recte statuit Weisshaeupelius[4]), qui simul ut illius particulae fontem indagaret navavit operam. Qui cum epigrammata Rufini, quem diversum esse a Rufino Domestico, Agathiano poeta, epigrammatis V. 284. auctore, iure contendit, Gaetulici, Onestae,[5]) Cillactoris, Galli, Archiae, Capitonis, Dionysii Sophistae, Claudiani, (Lucillii et Palladae) certo quodam conexu et ordine inter se coniuncta esse putavisset, cumque Claudianum — Iacobsii sententiam si sequimur, Theo-

---

[1]) cf. Iacobsium et Weisshaeupl. p. 86 sq.

[2]) cf. Weigand. l. l. p. 562. sqq.

[3]) l. Cephalae est, cf. Sternb. mel. gr. p. 14.

[4]) pag. 38. sq.

[5]) nominis forma aut Onestas aut Onestes aut Onestos. Cogitavi de agnomine Honestus.

dosii alterius aequalem — horum antiquissimum ratus esset, fontem epigrammatum V. 2.—103. Rufini fortasse, cuius 37 (40) servantur epigrammata hac in parte, collectionem epigrammatum amatoriorum quinto saeculo editam statuit. Contra Weigandius Rufini epigrammata ex Diogeniani anthologio fluxisse putavit causis non additis et Sternbachius notula brevissima [1]) dixit Rufinum tertio vel quarto floruisse saeculo; Iacobsium denique adfero arbitratum Rufinum Iustiniani fuisse aequalem. Omnium igitur post Christum natum fere saeculorum Rufinum esse viri docti existimaverunt; itaque aliam viam ingredi non inutile esse arbitror.

Namque in mentem mihi venit unius Romanorum poetae, quamvis ferreae, uti ita dicam, aetatis, qui Graeca epigrammata exhausit, Ausonii. Plurima eius epigrammata ad Graeca prototypa iam ab Ausonii editoribus recentissimis Schenkelio, cuius numeros sequor, et Peipero summa cum diligentia relata sunt ac ne unum quidem viri illi docti omisisse videntur. Tamen cum maximam Ausonianorum epigrammatum partem ad epigrammata Graeca exstantia respicere videamus, nonne licet suspicari reliqua quoque, quae, etiamsi Graeci non serventur fontes, tamen Graeci plena sunt ingenii, ad Graeca redire epigrammata, prasertim cum in Anthologia Cephalana non nisi dilacerata pristinorum florilegiorum habeamus excerpta? Iam inspectis Ausonii epigrammatis fontes, quibus utebatur, explorabimus, dico, quas epigrammatum excerpserit coronas.

Missa facio cetera scripta praeter epigrammata, nam etiamsi in istis quoque inveniantur Graecorum epigrammatum vestigia, tamen non adeo fonti sunt similia quam epigrammata, quae saepissime nihil aliud sunt nisi mutatis nominibus in latinum sermonem versa Graeca. Epigrammata igitur haec imitatus est Ausonius:

1) mel. gr. 22. adn.

Ex Meleagri coronae poetis fluxerunt:
Auson. ep. 21. collato A. P. ep. IX. 44. Platonis.
„ „ 22. „ „ „ „ VII. 229. Dioscoridis.
„ „ 33. „ „ „ „ IX. 506. Platonis.
„ „ 53. „ „ „ „ VI. 1. Platonis.
„ „ 55. „ „ „ „ XVI. 160, 5. 6. 162. Platonis.
„ „ 56. „ „ „ „ IX. 721. sqq. Antip. Sid.
„ „ nov. 8. „ „ „ „ XVI. 178. Antip. Sidon.
„ „ „ 12. „ „ „ „ VII. 670. Platonis.
„ „ „ 13. „ „ „ „ V. 146. Callimachi.
„ „ „ 28. „ „ „ „ IX. 715. Anacreontis.

Ex Philippo hausit Ausonius haec epigrammata:
ep. 11. collato Anth. Pal. ep. XVI. 275. Bianoris.
„ 13. „ „ „ „ IX. 17. et 18. Germanici Caesaris.
„ 21. „ „ „ „ IX. 45. Statilii Flacci.
„ 49. „ „ „ „ VII. 66. Onestae.
„ 50. „ „ „ „ IX. 145. Antip. Thess.
„ nov. 5. „ „ „ „ IX. 11. sqq. Philippi.
„ „ 21. „ „ „ „ XVI. 136. Antiphili.
„ „ 22. „ „ „ „ XVI. 137. Philippi.
„ „ 23. „ „ „ „ VII. 396. Bianoris.

Ex Diogeniani anthologio haec fluxerunt:
Aus. ep. 36. coll. Anth. Pal. ep. XII. 200. Stratonis.
„ „ 38. „ „ „ „ XI. 225. XII. 210. Straton.
„ „ 41. „ „ „ „ XI. 143. Lucilii.
„ „ 42. „ „ „ „ XI. 151. Ammiani.
„ „ 47. „ „ „ „ XI. 145. 151. Ammiani.
„ „ 69. „ „ „ „ XI. 114. Lucilii.
„ „ 70. „ „ „ „ XI. 113. Lucilii.
„ „ 82. „ „ „ „ V. 68. Lucilii.
„ „ 87. „ „ „ „ XI. 254. Lucilii.
„ „ 96. „ „ „ „ XI. 163. Lucilii.
„ „ nov. 15. coll. Anth. Pal. ep. XI. 279. Lucilii.
„ „ „ 20. „ „ „ „ XI. 104. Lucilii.

Rufinum imitatur Ausonius:
ep. 12. conf. Anth. Pal. V. 21. et V. 12.

ep. 36. conf. Anth. Pal. V. 42.
„ 83. „ „ „ V. 88.

ἄδηλα omitto, quippe cum certi nihil ex iis lucremur. — Certe igitur praesto habuit Ausonius tria Meleagri, Philippi, Diogeniani florilegia. De Rufino certius iudicare possis, si tecum reputaveris Ausonium non passim hanc vel illam anthologiam praesto habuisse, sed unam excerpsisse, deinde aliam, atque elegisse ea, quae sibi placuerunt epigrammata. Conferas exempli gratia epigrammata 20.—33. comparantur solis cum Meleagreis epigrammatis; item 51.—68. 69.—96. Diogenianea imitabatur, similiter ut 36.—47. Iam cum in his seriebus etiam Rufini imitatum esse Ausonium epigrammata videamus, conicere licet Rufinum quoque Diogenianeo anthologio adnumeratum fuisse.

Iam quaeramus, exstentne huius suspicionis etiam in Anthologia Palatina argumenta. Habemus autem Rufini haec epigrammata: V. 9. inter Meleagrea, 12.—22. longiorem seriem constituere licet, quae Philippeis tantum interrumpitur epigrammatis: 13. Philodemi, 16. Marci Argentarii, 20. Onestae, qui Philippi coronae certe adtribuendus est; nam id quod Weigandio placuit duos constituere Onestae nomine poetas, confirmari nequit uno solo hoc inter Diogenianeos epigrammate. — Contra 17. Gaetulici, ergo Diogeniani habes fragmentum. Deinde 27. et 28. Rufini sunt, 29. Cillactoris Diogenianei. 25.—49. iterum Diogeniani seriem constituere possumus: 35.—37. Rufini, 38.—40. Nicarchi, 41.—44. Rufini (quae *κατὰ στοιχεῖον* Nicarcheis adseruntur), 45. Cillactoris, 47. et 48. Galli cuiusdam, qui fortasse idem Diogenianeus est poeta.

Interrumpentia epigrammata Philippi coronae delibata facile adnectas; videas:

13. Philodemi: *ἑξήκοντα*.
16. Marci Argentarii; *μήνη*.
20. Onestae: *οὔτε*.
24. Philodemi: *ψυχή*.

Deinde: 25. Philodemi: ὅσσακι.
30. Antipatri Thessalonicensis: πάντα.
31. eiusdem: χρύσεος.
33. Parmenionis: ἐς.
34. eiusdem: ὁ Ζεύς.
46. Philodemi: χαῖρε.

Adparet igitur Cephalam in Diogenianea epigrammata alphabeticos Philippicae coronae ordines passim intulisse.

V. 60.—62. Rufini, tum 66.—70. habes Rufinum (67. Capitonem, 68. Lucilium?), 71. et 72. recte Palladae Alexandrino dantur iam in lemmate. 73.—76. iterum Rufini, 87.—94. Rufini interrumpentibus Marci Argentarii et incertis (nonne e Philippi florilegio?) κατὰ στοιχεῖον incipientibus; etiam Rufini κατὰ στοιχεῖον seposita cernas: 87. ἀρνεῖται; tum 88. εἰ. 92. ὑψοῦται. 93. ὥπλισμαι. — 97. et 103. denique Rufini sunt.

Quibus perlustratis spero te mecum facturum esse, qui contendo Rufini epigrammata Diogeniani anthologio adscribenda esse. Sed unum etiam accuratius quaerere licet, utrum primo an secundo vixerit Rufinus saeculo.

Stratonem Hadriani imperatoris temporibus vixisse supra docuimus. Ante illum Rufinus vixerit necesse est, cum certissimum sit epigramma XII. 200. Stratonis fluxisse ex Rufini V. 42. Inspicias velim duo epigrammata, Rufini brevissimum:

μισῶ τὴν ἀφελῆ, μισῶ τὴν σώφρονα λίαν·
ἡ μὲν γὰρ βραδέως, ἡ δὲ θέλει ταχέως

et Stratonis amplificatum, ut sectatoris est mos (exempli gratia Nicarchi epigrammata, quibus Lucilium imitatur, omnia longiora sunt fontibus):

μισῶ δυσπερίληπτα φιλήματα καὶ μαχιμώδεις
φωνὰς καὶ σθενάρην ἐκ χερὸς ἀντίθεσιν·
καὶ μὴν καὶ τόν, ὅτ' ἐστὶν ἐν ἀγκάσιν, εὐθὺ θέλοντα,
καὶ παρέχοντα χύδην, οὐ πάνυ δή τι θέλω·

ἀλλὰ τὸν ἐκ τούτων ἀμφοῖν μέσον, οἷον ἐκεῖνον
τὸν καὶ μὴ παρέχειν εἰδότα καὶ παρέχειν. —

Adparet ergo Rufinum ante Stratonem floruisse.

Sed etiam propius ad Rufini aetatem accedere nos posse spero inspectis paucis Martialis epigrammatis, quae miram cum Rufini versibus ostentant congruentiam. Lucilii eiusque sectatorum Martialem quoque pedisequum esse iam supra commemoravimus, neque tamen accuratiora de ratione, quae inter Lucilium et Martialem intercedit, protulimus, quae data occasione nunc proferre liceat. Namque adparet Martialem eodem quo Lucilium imitabatur modo alios quoque poetas imitatum esse. Collegi autem haec potissimum epigrammata, quibus mea quidem sententia Martialem strenuum Lucilii captamus sectatorem.

Lucilii	ep. XI.	10.	conf.	cum	Martialis	III. 10.
"	"	141.	"	"	"	VI. 19.
"	"	153.	"	"	"	IV. 53.
"	"	171.	"	"	"	V. 32.
"	"	176.	"	"	"	VI. 72.
"	"	196.	"	"	"	XI. 84.
"	"	205.	"	"	"	II. 37.
"	"	214.	"	"	"	V. 21. 53. 54.
"	"	239.	"	"	"	VI. 93.
"	"	240.	"	"	"	VII. 94.
"	"	249.	"	"	"	XI. 18.
"	"	257.	"	"	"	VI. 53.
"	"	310.	"	"	"	XII. 23.

Enotavi ea tantum exempla, quibus totum Lucilii epigramma a Martiale expressum est; singulas imitationes hic proferre atque enumerare supersedeo. Exempli gratia unum et alterum conferamus. XI. 310. Lucilii:

Ἠγόρασας πλοκάμους, φῦκος, μέλι, κηρὸν, ὀδόντας·
τῆς αὐτῆς δαπάνης ὄψιν ἂν ἠγόρασας,

et Martialem legas XII. 23:

Dentibus atque comis, nec te pudet, uteris emptis:

Quid facies oculo, Laelia? non emitur.

Hoc epigrammate belle, quid intersit inter Graecum et Romanum poetam, dispicimus: Romanus multo ingeniosior est, etiamsi rem a Graeco deprompsit. Sed apostropha illa interrogativa et brevissimo enuntiati fine efficitur, ut quasi loquentes poetam et vetulam audiamus.

Alia est ratio hisce epigrammatis, Lucilii XI. 249:

Ἀγρὸν Μηνοφάνης ὠνήσατο, καὶ διὰ λιμὸν
ἐκ δρυὸς ἀλλοτρίας αὑτὸν ἀπηγχόνισεν.
Γῆν δ' αὐτῷ τεθνεῶτι βαλεῖν οὐκ ἔσχον ἄνωθεν,
ἀλλ' ἐτάφη μισθοῦ πρός τινα τῶν ὁμόρων.
Εἰ δ'ἔγνω τὸν ἀγρὸν τὸν Μηνοφάνους Ἐπίκουρος,
πάντα γεμεῖν ἀγρῶν εἶπεν ἄν, οὐκ ἀτόμων

et Martialis XI. 18:

Donasti, Lupe, rus sub urbe nobis;
Sed rus est mihi maius in fenestra.
Rus hoc dicere, rus potes vocare?
In quo ruta facit nemus Dianae,
Argutae tegit ala quod cicadae,
Quod formica die comedit uno,
Clusae cui folium rosae corona est;
In quo non magis invenitur herba,
Quam Cosmi folium piperve crudum;
In quo nec cucumis iacere rectus,
Nec serpens habitare tota possit.
Urucam male poscit hortus unam,
Consumpto moritur calix salicto,
Et talpa est mihi fossor atque arator.
Non boletus hiare, non mariscae
Ridere aut violae patere possunt.
Fines mus populatur et colono
Tanquam sus Calydonius timetur,
Et sublata volantis ungue Prognes
In nido seges est hirundinino;
Et cum stet sine falce mentulaque,
Non est dimidio locus Priapo.

Vix implet cocleam peracta messis,
Et mustum nuce condimus picata.
Errasti, Lupe, littera sed una:
Nam quo tempore praedium dedisti,
Mallem tu mihi prandium dedisses.

Amplificavit igitur et extendit hoc loco Martialis Lucilii argumentum ideoque etiam magis hyperbolice rem finxit; tales omnes fere reliquae sunt imitationes, ut sectatorem amplificantem videamus Graecum prototypon.[1])

Eandem rationem intercedere inter Rufinum et Martialem duobus perspicere possumus epigrammatis: V, 12:

Λουσάμενοι, Προδίκη, πυκασώμεθα, καὶ τὸν ἄκρατον
ἕλκωμεν κύλικας μείζονας αἱρόμενοι.
Βαιὸς ὁ χαιρόντων ἐστὶν βίος· εἶτα τὰ λοιπὰ
γῆρας κωλύσει, καὶ τὸ τέλος θάνατος

conferas cum Mart. IV. 34:

Galla, nega: satiatur amor, nisi gaudia torquent:
Sed noli nimium, Galla, negare diu;

et tum Rufinii V. 42:

Μισῶ τὴν ἀφελῆ, μισῶ τὴν σώφρονα λίαν·
ἡ μὲν γὰρ βραδέως, ἡ δὲ θέλει ταχέως,

cum Martialis I. 57:

Qualem, Flacce, velim, quaeris, nolimve puellam?
Nolo nimis facilem difficilemque nimis.
Illud quod medium est atque inter utrumque probamus:
Nec volo quod cruciat, nec volo quod satiat.

Mea quidem sententia Martialis, ut alibi Lucilii, ita hic Rufini sectator fuit; nam neque casu consensum factum esse putes neque Rufinum Martialem secutum esse credibile est propterea, quia breviorem et concisiorem sententiae formam apud Graecum expressam habeamus epigrammatographum.

Quae cum ita sint, **Rufinum Lucilii fere aequalem fuisse eiusque epigrammata a Diogeniano excerpta esse persuasum habeo.**

---

[1]) Friedlaender: Mart. I. 19,1.

Caput tertium.

De libri undecimi Anthologiae Palatinae fontibus.

Undecimi libri Anthologiae Palatinae fontes indagaturus praemoneam, non quo Cephalanum esse hoc caput dubitem, quaestionem me instituisse, sed cum prorsus aliam speciem prae se ferre unusquisque primo obtutu perspiciat. Ipsum Constantinum Cephalam hoc quoque Anthologiae composuisse caput ne minima quidem dubitatio subrepere potest, cum suprascriptio totius capitis simillima sit reliquorum certe Cephalanorum capitum V.—X. et XII. Conferas quaeso, quae capiti undecimo praeposuit excerptor: *Ἀρχὴ σκωπτικῶν* (codex *σκοπτικῶν*). *Τὸ συμποτικὸν εἶδος ἐκ σκωμμάτων σύγκειται καὶ συμβολῆς, τῶν παλαιῶν ἀεὶ παρὰ τὸν πότον ἀλλήλους ἀποσχεδιαζόντων*[1]. *Ἵν' οὖν μηδὲ τούτων ἀμοιρῇς, καὶ ἐξ αὐτῶν ὑπέταξα τὰ ἐμπεσόντα* cum initio libri quinti, ubi habes ipsius Cephalae versiculos:

Νέοις ἀνάπτων καρδίας σοφὴν ζέσιν,
ἀρχὴν Ἔρωτα τῶν λόγων ποιήσομαι:
πυρσὸν γὰρ οὗτος ἐξανάπτει τοῖς λόγοις,

deinde cum VI. capitis exordio: *ἀρχὴ τῶν ἀναθηματικῶν ἐπιγραμμάτων*, quod sequitur: *ἀρχὴ μὲν ἡμῖν, ὥς φησιν ἡ τῶν ἐρωτικῶν ἐπιγραμμάτων ἔκθεσις, γεγένηται σκόπον ἔχουσα τὴν σὴν ἐξάψαι διάνοιαν. Εἰ τοίνυν γεγένηται τὸ προτεθὲν, ἐπὶ τὴν τῶν ἀναθηματικῶν ἀνάγνωσιν μετάβηθι· εἴη δὲ καὶ ἐπ' αὐτῆς ἡμῖν ἀνυσθῆναι τὸ σπουδαζόμενον*; confer capitis septimi initium: *Καὶ ὁ τῶν ἀναθηματικῶν ἡμῖν ἐπιγραμμάτων χαρακτὴρ πεπλήρωται ἱκανῶς ἔχων, ὡς ἐμαυτὸν πείθω. Μετιτέον οὖν ἐφ' ἕτερον οὐκ ἄχρηστον οὐδ' ἀνωφελῆ κινῆσαί τε* (Reiskius pro *λαλῆσαί τε*) *καὶ πρὸς πάθος ἀγαγεῖν τοὺς ἐντυγ-*

[1] Sic codex, quem ipse inspexi, non *αὐτοσχεδιαζόντων*.

χάνοντας δυνάμενον. Ἔστι δὲ οὗτος ὁ τῶν ἐπιτυμβίων, ἀρχὴν ἔχων τοιάνδε. Quo initio optime comprobatur ipsum Cephalam suprascriptiones illas composuisse, nam in margine illo loco scriptum videmus: *ἀρχὴ τῶν ἐπιτυμβίων ἐπιγραμμάτων, ὧν ἐσχεδίασεν ὁ κύρις Κωνσταντῖνος ὁ Κεφαλᾶς, ὁ μακάριος καὶ ἀείμνηστος καὶ τριπόθητος ἀνθρώπων.* Caput nonum sic inauguravit Cephalas: *ἀρχὴ τῶν ἐπιδεικτικῶν ἐπιγραμμάτων. Οὐδὲ τοῖς παλαιοῖς* (cf. cap. XI. *τῶν παλαιῶν . . . .*) *ἠμέληται τὸ ἐπιδεικτικὸν γένος, ἀλλ' ἔστι καὶ ἐν τοῖς ἐπιγράμμασιν εὑρεῖν καὶ ἑρμηνείας ἐπίδειξις, καὶ πραγμάτων γενομένων ὄντως ἢ ὡς γενομένων ἀφήγησις*; capiti X. vides praeposita verba: *ἀρχὴ τῶν προτρεπτικῶν. Οὐδὲ οὗτος ξένος, οἶδ' ὅτι, τῶν ῥηθησομένων ἐπιγραμμάτων ὁ τρόπος, τοῦτο καὶ τῶν παλαιῶν* (cf. XI. IX.) *ἐπισημαινομένων πολλάκις· προτρεπτικὰ δὲ τοῦ πρακτέου τοῖς ἐντυγχάνουσιν* (cap. VII.) *ὄντα, οὐ τέρψιν μόνην, ἀλλὰ καὶ ὄφελος οὐ μικρὸν ἔχει, καιρόν τε καὶ τόπον καὶ πρᾶξιν ὑφηγούμενα.* Musam autem puerilem hisce verbis Cephalas incohavit: *καὶ τίς ἂν εἴην, εἰ πάντων σοι τῶν εἰρημένων τὴν γνῶσιν ἐκθέμενος τὴν Στράτωνος τοῦ Σαρδιανοῦ παιδικὴν μοῦσαν ἀπεκρυψάμην, ἣν αὐτὸς παίζων πρὸς τοὺς πλησίον ἀπεδείκνυτο, τέρψιν οἰκείαν τὴν ἀπαγγελίαν τῶν ἐπιγραμμάτων, οὐ τὸν νοῦν, ποιούμενος. Ἔχου τοίνυν τῶν ἑξῆς· ἐν χορείαις γὰρ ἥ γε σώφρων, κατὰ τὸν τραγικόν, οὐ διαφθαρήσεται.*

Adparet unum illa omnia scripsisse Cephalam, quippe cum semper in fine adnotationum brevem explicationem, interdum paraeneticam, adnecti videamus.

Iam primarios fontes ceterorum capitum hoc quoque libello quaerentibus a Meleagri coronae poematis undecimo capite servatis capiamus exordium. Sunt autem haec:

XI. 12. Alcaei.

123. Hedyli.

158. Antipatri. (fortasse Thessalonicensis ex Philippi corona).

195. Dioscoridis.

218. Cratetis.

219. Antipatri.
223. Meleagri.
224. Antipatri.
235.—238. Demodoci Lerii.
275. Apollonii Grammatici.
296. Timonis.
362. Callimachi.
363. Dioscoridis.
398. Niciae.
414. Hedyli.
415. Antipatri.

Primo adspectu mirum est, quod longiorem seriem Meleagreorum epigrammatum nusquam excerptam, sed hic vel illic unum aut alterum aspersum videmus, ita ut vel hac de causa dubitemus, sintne genuina illa epigrammata Meleagreorum poetarum nominibus ornata. Constantinum ex fonte suo, scilicet ex Meleagro, haec epigrammata minime excerpsisse, sed ut eorum sibi in mentem venit, ita, ex memoria fortasse, in alias series intulisse adparet. Iam singula perlustremus carmina.

XI. 12. lemma fert *Ἀλκαίου*[1]), sequitur Diogenianea, sequuntur Diogenianea. Viri docti putaverunt versus esse epigramma in Philippum regem, in quem Alcaeus Messenius IX. 519. acerbissimo plenoque bilis epigrammate invehitur. Sed collatis reliquis Alcaei poematiis facile cognoscas illud de quo agimus epigramma minime esse genuinum; Alcaeus ut Peloponnesiacus semper utitur dialecto dorica, quam hic desideramus; accedit quod Nicarchus versiculos imitatus est ep. XI. 1:

Ἑρμαίοις ἡμῖν Ἀφροδίσιος ἓξ χόας οἴνου
αἴρων, προσκόψας πένθος ἔθηκε μέγα.
Οἶνος καὶ Κένταυρον ἀπώλεσεν· ὡς ὄφελεν δὲ
χἡμᾶς! νῦν δ' ἡμεῖς τοῦτον ἀπωλέσαμεν.

Quem cum nunquam antiquorum poetarum sectatorem

[1]) Susemihl. l. l. II. 544.

esse sciamus, sed unius Lucilii, recte hoc quoque epigramma Alcaeo perperam tributum Lucilio adiciamus.

De Hedyli (123. et 414.), Antipatri (219. 224. 415.), Meleagri (223.), Niciae (398.), Apollonii Grammatici (275.) epigrammatis iam supra suis locis iudicium protulimus. Restant igitur: 158. *Ἀντιπάτρου*. Fortasse iniuste fecimus, quod hic de Antipatri epigrammate loquimur; sed cum certum testimonium neque de Sidonio neque de Thessalonicensi carminis auctore nos adminiculet, occasione data examinemus. Positum est poematium inter Diogenianei anthologii fragmenta et in istud quidem capitulum, quo philosophis, praecipue Cynicis, irridetur. Antipater Sidonius auctor esse epigrammatis non potest, scripsit enim dialecto dorica et totum eius ingenium prorsus alienum est ab hac versus cudendi ratione; neque tamen Antipatri Thessalonicensis est epigramma, cum ille Cynicis philosophis propterea non maledixit, quia Piso, cui plurima sua epigrammata dedicavit, ipse hanc philosophiae disciplinam adamasse videtur[1]). Itaque utrumque nomen falso traditum esse statuendum est neque impedimur, quominus id nomen, quod iam aliis locis pro Antipatri lemmate restituimus, huic quoque epigrammati reddamus, nempe Nicarchi, qui ut semper etiam hoc epigrammate, sed sua quam antea adumbravimus arte et ratione, Lucilium imitabatur: conferas eundem verborum lusum inter *Κύων* et *Κυνικός*, tum *ῥιγομάχος* Lucilii facile componitur cum Nicarchi: *κρυερῶν ἀντίπαλον νιφάδων*.

195. *Διοσκορίδου* epigramma iterum legitur ante 362. Callimachi epigramma, quo loco de eo iudicabimus.

Celeberrimum est Cratetis[2]) in Euphorionem ludicrum 218:

---

[1]) Setti: Antip. pag. 135.

[2]) cf. Wachsmuth: Crat. Mall. p. 67. Meineke: Anal. Alex. p. 7. sq. Rohde: Griech. Rom. 23, adn. 1. Knaack: JJ. 143. 772. sqq. Susemihl: l. l. I. 395, 102; app. p. 899.

Χοίριλος Ἀντιμάχου πολὺ λείπεται· ἀλλ' ἐπὶ πᾶσιν
Χοίριλον Εὐφορίων εἶχε διὰ στόματος,
καὶ κατάγλωσσ' ἐπόει τὰ ποιήματα, καὶ τὰ Φιλητᾶ
ἀτρεκέως ᾔδει· καὶ γὰρ Ὁμηρικὸς ἦν,

cuius obscenitates olim perspexerunt viri docti. Multae tamen sunt dubitationes, quibus, ne genuinum Cratetis epigramma putem, commoveor. Primum Cratetem Mallotam, cuius in fragmentorum editione Wachsmuthiana enumeratum vides scriptorum catalogum, facultate poetica floruisse non constat, ne epigrammata quidem eum composuisse scimus; tum Crates Pergamenus, qui ipse vere Homericus erat philologus, de Euphorione maledicens dicere non potest: *καὶ γὰρ Ὁμηρικὸς ἦν*, etiamsi obscene ad *μηροὺς* fortasse adludere Crates voluerit; deinde ne Euphorionem quidem Homericis vacasse studiis usquam traditum est, quanquam de hoc ipso poeta satis multa scimus; quartum denique est, quod non habemus, quo locum in Anthologia explicemus; servatur in longa Diogenianeorum epigrammatum serie, et alphabetice adnectitur antecedentibus (cf. 214. *γράψας*. 215. *εἴκοσι*. 216. *τὸν* 217. *φεύγων*. 218. *χοίριλος*). Auctor epigrammatis grammaticus quidam est, cui fortasse idem Crateti nomen erat — quis scit? —, sed qui vixit Flaviis aut Traiano Hadrianoque imperatoribus.

235.—238. epigrammata quattuor nomine Demodoci Lerii[1]) tradita sunt, de quo vide Aristotelem (Eth. Nicom. VII. 9. 1151^a, 8): *οὐ μὴν ἀλλ' ὅμοιόν γε κατὰ τὰς πράξεις ὥσπερ τὸ Δημοδόκου εἰς Μιλησίους: „Μιλήσιοι ἀξύνετοι μὲν οὐκ εἰσίν, δρῶσι δ' οἷάπερ οἱ ἀξύνετοι."* quae verba ingeniosissime Bergkius in pristinam metricam redegit formam:

καὶ τόδε Δημοδόκου· Μιλήσιοι ἀξύνετοι μὲν
οὐκ εἰσίν, δρῶσιν δ' οἷάπερ ἀξύνετοι.

Tum conferas Schol. Wechel. ad nostrum de quo agitur epigramma: *μέμνηται τοῦ ἐπιγράμματος Στράβων ἐν δεκάτῳ τῶν Γεωγραφουμένων* (p. 118. § 12. ed. Didot.) *οὐ*

---

[1]) Bergk: p. lyr. Gr. II. p. 65.—67.

μὴν περὶ τῶν Χίων, ἀλλὰ περὶ τῶν Λερίων, οὐδ' ὅτι Δημοδόκου, ἀλλὰ Φωκυλίδῃ πεποίηται λέγοντι·

καὶ τόδε Φωκυλίδεω· Λέριοι κακοί· οὐχ ὁ μέν, ὃς δ' οὔ.
πάντες, πλὴν Προκλέους· καὶ Προκλέης Λέριος.

Καὶ Εὐστάθιος ἐν τῷ εἰς τὸν Περιηγητὴν ὑπομνήματι (ad v. 530.) συμφωνεῖ τῷ Στράβωνι· ἐν ταύτῃ γὰρ τῇ πραγματείᾳ μονονουχὶ τῇ Γεωγράφου παραφράσει φιλοτιμεῖται. Λέρος δὲ μία τῶν Σποράδων ἐστίν.

Unde concludas Demodocum Phocylidis fere temporibus vixisse; itaque si genuina essent epigrammata, ex Meleagri florilegio fluxissent. Epigrammata 236.—238. rectissime et firmissimis argumentis Bergkius posterioris aetatis esse comprobavit. Equidem ne 235. quidem genuinum esse putem, cum Strabonis auctoritate nitamur, qui Phocylidem (in Demodocum) hoc epigramma composuisse testatur. Namque cum antea Demodocus in Milesios Phocylidisque patriam invectus esset nomine poetae tantum non appellato, Milesius poeta in Lerios invectus est idem nomine non adlato; sed cum Demodocus unus esset Leriorum ceteroquin stultorum, eum ut supremum gloriosissimumque stultorum malorumque nomine *Προκλέης*, unde facillime sumas illam notionem, appellavit. Demodoci certe non esse epigramma evincitur vitio illo prosodico: *καὶ Προκλέης δὲ Χῖος*. *Χῖος* autem contractum est ex priore forma *Χίιος*, et in inscriptionibus habes etiam formam *Χεῖος* et *Χεία*.[1]) Facile autem corruptelam adsequi licet. Scriptum enim erat in versu Phocylideo:

καὶ Προκλέης ΛΕΡΙΟΣ,

ultimum verbum nescio quo casu transiit in *ΔΕΧΙΟΣ*; iam cum Chios legeretur, Phocylidis nomen necessarium non erat, immo molestum, mutavit igitur falsator in *Δημοδόκου*. Itaque haec ex Meleagri corona minime fluxerunt, sed

---

[1]) cf. Et. M. 812,1. 553,20. 593,24. 278,20. Draco. pag. 101. Eustath. ad. Il. A p. 21. Reg. pros. 27. — vide Goettling: Accent d. griech. Spr. S. 170. — C. I. G. 6402. et 5728.

istis grammaticorum Romanorum temporibus orta sunt, excepto nimirum epigrammate 238.,[1]) quod ex Agathiae Cyclo delibavit Cephalas quodque hic adseruit propter argumenti similitudinem Pseudodemodoceorumque imitationem.

296. Timonis, inter multa ἀδέσποτα hexametrica tantum, e Meleagri corona non est delibatum propterea, quod epigrammatis formam non habet; originem duxit ex uno innumerabilium illorum fere libellorum, quibus philosophorum dicta et versus colligebantur.

Restant igitur nunc haec tantum epigrammata:

361*. Dioscoridis.

362. Callimachi.

363. Dioscoridis.

Quo loco brevem Meleagreorum exhibes seriem poetarum, tamen non inter Diogenianeos, sed inter bina Philippica epigrammata, 361. Automedontis et 364. Bianoris; accedunt κατὰ στοιχεῖον initia: 361. γάλλον. 362. εὐδαίμων. 363. οὔκετ', ita ut Weisshaeupelii fortasse adstipulemur sententiae exstitisse collectionem, qua Philippi et Meleagri coronae iam contaminatae erant; neque tamen de Diogeniani anthologio cogites.

Ep. 361*. Dioscoridis, quod iterum legitur 195., ut iam diximus, procul dubio priore loco in margine, nescio qua causa, adscriptum erat et in textum qui dicitur inde invasit; interrumpit autem Diogenianeorum ordinem elementarium (191. Ἄρες. 192. μακροτέρῳ. 193. Ὁ φθόνος. 194. Παυλ. 196. Ῥύγχος).

Itaque Meleagrum in capite undecimo componendo Constantinus Cephalas praesto non habuit.

Ceteros fontes, ut sibi praesto erant, exscripsit Cephalas:

Philippi coronam: 4. 20. 23.—50. 65.—67. 72. 168. (Antiphanis, nonne rectius Ammiano aut Nicarcho datur?)

---

[1]) Bergk. l. l. pag. 66.

Alphabetice enim adnectitur Diogenianeis: 164. εἶπεν. 165. οὐ. 166. πλουτεῖν. 167. χαλκόν. 168. ψηφίζεις.) 173. (Philippi, sed in elementario Diogeniani ordine: 172. γεννηθέν. 173. εἰ. 174. τὰν. 175. τὸν. 176. τὸν. 177. τόν. Nonne Diogenianeus auctor est epigrammatis poeta?). 248. (propter argumenti similitudinem additum). 318.—322. 324.—327. 346.—348. 361. 364.

Diogeniani anthologium: 1.—3. 5.—19. 21. 22. 68.—71. 73.—203. 205.—247. 249.—254. 256.—262. 264.—266. 274.—279. 308.—316. 328.—339. 388.—436.

Palladae epigrammata: 54. 55. 62. 204. 255. 263. 280.—295. 299.—307. 317. 323. 340. 341. 349. 351.—353. 355. 357. 371. 373. 377. 378. 381. 383.—387.

Agathiae cyclum: 57.—61. 63. 64. 350. 352. 354. 365.—370. 372. 374.—376. 379. 380. 382.

In fine celebres versiculos aut sapientium aut philosophorum aut comicorum adiecit sententias.[1])

Quae de poetis Diogenianeis ceteroquin dicenda sunt, in Lucilii epigrammatum editione, quam paraturus sum, tractabuntur.

---

[1]) de compositione cap. XI. conf. Weigand l. l. pag. 164.

Indices.

A.

Epigrammaticorum, quos tractavimus.

B.

Epigrammatum, quae tractavimus.

(Epigrammata, quorum lemmata correxi, asterisco signavi.)

Vita.

Natus sum Ricardus Paulus Sakolowski Gedani a. h. s. LXXII. die XIV. mens. Aug patre Aemilio praematura morte mihi abrepto, matre Amoena de gente Krausse, quam inter vivos esse summe laetor. Fidem profiteor evangelicam. Litterarum rudimentis imbutus Argentorati, a. LXXXII. Dresdae in Gymnasium Wettinianum, quod Ottone Meltzero rectore floret, receptus et inde a. XC. maturitatis testimonio ornatus sum dimissus. Lipsiae deinde per bina semestria studiis philologis me dedidi, tum subito gravissimo morbo implicatus, ut restituerer, studiis valedixi et per septem menses in Italia Helvetiaque versabar. Valetudine recuperata denuo studiis incubui. Scholas adii virorum clarissimorum Cichorius, Heinze, Immisch. Lipsius, Ribbeck, Richter, Schneider, Wachsmuth, Wenck, Windisch, Wundt, Ed. et Frid. Zarncke. Proseminario philologo per tres senos menses. moderantibus Wachsmuth, Immisch, Buresch, Ed Zarncke adscriptus eram sodalis. Seminario philologo regentibus Lipsius, Ribbeck. Wachsmuth per bina semestria sodalis exstiti ordinarius. Seminario historico Wachsmuthii et Cichorii auspiciis per bis sex menses interfui; societatibus ut interessem, benigne concesserunt Ribbeck et Ed. Zarncke, ad historicas Cichorius, ad archaeologicas exercitationes me admisit Schneider. Quibus omnibus viris doctissimis gratiam quam maximam et habeo et habebo semper. Inprimis autem Ribbeckium, qui studiorum semper erat fautor egregius. et Cichorium, qui ad Anthologiae studia me incitavit, pio gratoque animo prosequi nunquam desistam.

Denique Societati Philologae Lipsiensi, quae et philologiae rudimenta mihi praebuit et dulcium amicorum commercium, grates ago et, ut floreat in aet-rnum, aveo.